



**Amoenitates theologico-philologicae, in quibus varia S.  
Scripturae loca ritus prisci & inedita quaedam Erasmi,  
Bocharti, Baudii, Scriverii, J. de Laet &c. eruuntur**

<https://hdl.handle.net/1874/34354>

EPIGRAMMATA  
ET  
POËMATTA  
VETERA

RECENS,

Ad exemplum P. PITHÆI, è  
REINESIO, SPONIO,

*Aliisque Auctoribus collecta,*

Studio & Opera

TH. J. ab ALMELOVEEN.



AMSTELÆDAMI,  
Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.  
ANNO M. DC. LXXXIV.


CLARISSIMO VIRO

JANO BROUCKHUSIO

AMICO VETERI.

S. P. D.

TH. J. ab ALMELOVEEN.

 Uum ab antiquissimo tempore  
jugi experientia compertum sic  
nullum, utut exiguum, bel-  
lum, imo ne pugnam certamen-  
que sine prudentia, consilio, aut sa-  
pientia feliciter initum perfectumque,  
nulli nos mirari debemus posteriores im-  
peratores, justissima gravissimaque ra-  
tione asseverasse non tantum, sed  
etiam docuisse per diligentem, Martem  
cum Musis esse conjungendum. Maxi-  
ma enim fortitudo ac robur ni sapien-  
tia aut Prudenti consilio gubernetur  
fulciaturque, non modo flocci fit, sed  
facillime superatur & contunditur. Quod  
cum majores, qui summe bellicosi sem-  
per extitere reges, imperatores, ac  
\* 2 bellis

## DEDICATIO.

bellis fœvissimis imperii terminos atque fines tueri coacti sunt & extendere, animadverterunt scientissime, facile concedes ipsos reges, ducesque sapientiam aut summa diligentia investigasse, aut saltem viros sapientes in consilium adhibuisse. Horum exempla é plurimis colligant paucissima, non quod hæc tanquam incognita Te docere velim, verum ut tuam refricem memoriam istorum non minus quam præceptorum tenacissimam. Quis enim, qui Musas vel a limine solummodo salutavit, ignorare potis est, teste Horatio, Tyrtaum ipsum *mores animos in martia bella versibus exacuisse*, imo, Julium Cæsarem ut præteream, Gratianum ita studiis fuisse oblectatum ut Aufonius de eo cecinerit,

*quantum cessat de tempore belli,  
Indulget Clavis tantum inter castra  
Camænis.*

*Vix posuit volucres stridentia tela  
sagittas,*

*Musa-*



## DEDICATIO.

*Musarum ad calamos fertur manus,  
otia nescit,  
Et commutata meditatur arundine  
carmen.*

Sic Jacobus Palmerius Dom. de Grentemesnil Exercitationes suas, Græciam Antiquam, præter *avérodola* apud Clar. Morinum hæctenus servata, inter armorum strepitus, (quemadmodum Cælius Rhodiginus Læctionum Antiquarum Commentaria sua) conscripsisse prædicatur. Arma delectarunt Henricum Savile omni Græca Latinaque Philosophia instructissimum, uti Isaacum Wake Oratorem eloquentissimum. Sileam Geörgios Carew, atque Hartingum, nec non Andream Dorian maritimæ disciplinæ callentissimum. Quid? Guilielmum Durandum Ecclesiasticarum Cæremoniarum indagatorem perspicacissimum, profundum Theologum, in Sacris Literis peritissimum, ut de Juris peritia nihil dicam, etiam exercitui præfuisse nos docet Ambrosius de Altamura, cui parem subjunge Nortonum Knatchbul, cujus eruditissimæ in Novum Fœdus

## DEDICATIO

Animadversiones iteratis editionibus tantum non probantur. At poëtas si desideraris qui sævam militiam tulere atque inter ea haud segniter coluere Camœnas, vel unus, ut de Petro Lotichio Secundo, incomparabili ævi sui poëta nihil dicam, adest Jacobus Sannazarius, cui quanta ingenii fuerit nobilitas atq; præcocia ex operibus vivacissimis a longo tempore didiceris. Cum itaq; ejusmodi exemplorum sylvam coacervare possim, quo nunc supersedeo labore, qui ægre ferre ipse, qui alii male interpretari possitis me, iis perductum exemplis, laboribus nostris firmum tuum præsidium atque tutamen quæsisse. Alii quid judicent nihil curo. Saltem<sup>a</sup>

*Tunc temne quod ultro*

*Patronum nostris Te paro carminibus.*

Adhortatur certe & impellit hæsitantem tua cum Passieno Paulo æmulatio, cujus elegos si quis in manum sumserat eum opus tersum, molle, jucundum, & plane in Propertii domo scriptum legere confirmavit olim Plinius, Scriptorum sui temporis, uti nostri

<sup>a</sup> Auson. Syagr. vers. 35.

DEDICATIO.

nostri Sannazarius, Scaliger, ut censor rigidissimus, ita laudator parcissimus. Nec est quod Te offendat singulare & liberum de Propertio Julii Cæsaris Scaligeri iudicium quo unam elegiam Balthasaris Castilionæi plurimis Propertianis præponit, quod rectissime amico non vero datum observat magnus Lipsius. Præter hæc, ut sileam Te, ut qui artifex sis, optime de hisce Epigrammatibus posse judicare, quod tamen haud leve calcar est, vel ipse mihi, quod hæc Veterum Poëtarum naufragii reliquias & *rundereta* ut cum Francisco Douza loquar, ad exemplum Cl. P. Pithæi, ab eo neglecta aut postea inventa, de novo a me collecta, tuo nomini, omnibus doctis gratissimo, inscribam, Ipse dico viam præmonstrasti atque aperuisti cum illud idem conjunctissimo tuo Francio Viro Cl. communi nostro amico religiose & unice hisce commendasti,

\* 4

Tu,



DEDICATIO.

*Tu, precor, infaustæ solamen dulce ju-  
venta*

*Reliquias nostri collige naufragii.*

Quas, allegatas a me, si admiseris ra-  
tiones, meque, uti facis, paullo ames  
ardentius, spero Te eo, ut sinas Alme-  
lovenium tuum sinceræ amicitiaë semp-  
ternum tibi ponere monumentum, facile  
descensurum. Vale

Dabam Gaudæ in Batavis, a. d. xv. Octo-  
br. A. CIO. ICG. VIIC.

THE-



THEODORUS JANS.

A B

ALMELOVEEN

S. P. D.

LECTORI BENIVOLO.

**N**on longo prologo, qui multis mos est, angustissima tua morabor tempora, Lector Amicissime.

Scio utique vitam brevem, artem longam, scriptorum numerum pene infinitum; quapropter duo solummodo tecum paucissimis communicabo, alterum, utilitatem, quæ ex fragmentis hauriri solet, merito ab omnibus permagnam prædicari: alterum, Indicem eruditionis antistitum quorum exempla sum sequutus. De utilitate copiose disserere supersedebo cum id longe me antiquiores doctioresque fecerint viri antiquitatum studiosissimi, Jacobus Gothofredus, atque Henricus Valesius, quorum verba ipsa, quoniam quod superaddi iis a me pos-

\* 5 fit,

P R Æ F A T I O .

*fit, non inveniam, meis subjeci, hisce  
 tibi abunde, uti reor, satisfacturus.  
 Exempla vero vel ideo recensebo cum ut  
 profitear me hisce maxime incensum, tum  
 ut alios, me seduliore longe diligentia ut  
 prævertant atque superent, inflammem  
 ardentius. Agmen itaque, præter alios  
 a me olim nominatos ducat Theodorus  
 Canterus cujus veterum poëtarum Græ-  
 corum collectanea, sæpe numero a V. C.  
 Isaaco Casaubono expetita, in Clarissimi  
 atque amicissimi Viri Petri Francii,  
 Poëtarum facile principis, Bibliotheca  
 instructissima plus semel vidimus. Circa  
 Lycophronem id præstitit Guilielmus  
 Canterus, Theodori frater. Nuper vero  
 omnium Græcorum Poëtarum Fragmenta  
 cum emendationibus & notis sese editu-  
 rum promiserat V. C. Richardus Bentlejus,  
 at id ob mutatum vitæ statum rejecisse de-  
 creti ex animo una cum Nob. & Cla. Actor.  
 Lipsiensium Collectoribus dolemus. At Ja-  
 nus Douza Nordovix Pater Fragmenta ve-  
 terum poëtarum, qualia & Paulus Merula  
 cum*

P R Æ F A T I O.

*cum annotationibus, hætenus inedita, reliquerunt. His adde Ampl. Senatorem Nicolaum Peireskium de cujus in colligendis veterum Epigrammatibus diligentia agit Camdenus Epistola 137. Item Flavium Ptolomæum qui se corpus Epigrammatum veterum Latinorum editurum ultro promisit. Sileam Michaëlem Joannem Vimbodunum atque Onuphrium Geraldinum, quos Inscriptiones elogiaque diligenti indagazione congesta justis voluminibus edituros autor est in Apibus Urbanis Leo Allatius. Quis non sibi persuadet, si Francisci Sangalli opus Antiquitatum, & Jacobi Philippi Tomasini collectanea veterum Inscriptionum exstarent, multa ex iis potuisse depromi, nunc cum blattis ac tineis luctando tandem interitura. Dolendum est præter hæc etiam volumen illud carminibus Heroicis scriptum, in urbe Xantheni Barthio visum, aut potius Corpus Poëtarum Latinorum quod animo conceperat, lucem publicam non aspicere: imo nec & illum manuscriptum codicem*



P R Æ F A T I O.

cem, quem Salmasius possedisse confitetur  
 ipsemet atque Scriverius, qui eum mu-  
 tuum habuisse aperte plus semel agnoscit.  
 Nos ea, quæ ex illo, hi duo Demones  
 produxerint, summa, qua potuimus,  
 diligentia conquisimus: cetera vero præ-  
 cipue è Reinesio, Sponio, aliisque, quos  
 ubique nominavimus, scriptoribus lauda-  
 tissimis excerpimus, illa vel emendaturi  
 vel adaucturi, quum aut ex mox citatis  
 ineditis quædam, aut Andream Maria-  
 num Bononiensem, qui collecta a se ruina-  
 rum Epigrammata Romæ edidit an-  
 no 1641. aliquando deprehenderimus.  
 Vale.

JACO-



# JACOBUS GOTHOFREDUS,

In Prolegom. in Philostorg.

Pag. 48.

**N**unc de hac, quam nunc damus, Photii Epitoma, differendum nobis est: ubi alteri statim quorundam fastidio occurri oportet, qui proposita videlicet Epitomæ appellatione eam despiciatui illicofors habituri erunt, eo quod non nisi segmenta quædam ἀποσπασµόια, ἀπὸ τῆς ἱστορίας, neque adeo multa, ex tam diffusa Historia hic proponantur. Nempe enim delicatis his ita occurrimus, non ideo veterum scripta insuper haberi oportere, quod ea haud solida semper integraque proponuntur, verum exiguæ sæpe tantum ex his velut è naufragio tabulæ, sive vetustatis injuria, sive Epitomatorum, ut nonnulli queruntur, incuria licentiaque reliquæ. Nam ut maxime optandum foret, integros intemeratosque veteris ævi scriptores ad nos pervenisse, attamen, quando votis frustra res hic geritur, hoc  
Catone

Catone contentos nos esse oportet : deque  
servatis saltem reliquiis nonnullis, uti  
res est, gratulandum nobis est. Et vero  
quis tam studiorum hodie rudis est, ut  
nesciat, rediivivis hujusmodi parietinis  
seu Eclogis & Excerptis scriptorum qui  
jam olim interciderè, ingens hoc seculo  
ad meliores quasque literas incrementum  
accessisse: utpote quibus non justorum tan-  
tum passim operum instar aliquod breve-  
que simulacrum exhibetur, verum quo-  
rum ope densissimis veteris memoriæ te-  
nebris modico sæpe fragmento lux ful-  
gentissima infertur, immanesque hiatus  
supplentur?

# HENRICUS VALESIUS

## IN DEDICATIONE

Excerptor. Constantin. Porphyrog.  
ad V. C. L. Peireskium.

**N**Equae vero haec, utpote Excerpta, spernenda ac negligenda cuiquam debent videri. Etenim cum scriptores ipsi optima sui parte mutilati ad nos pervenerint, inventis cujusquodam reliquiis frui nolle, nimis delicati ac fastidiosi ingenii esse arbitror. Quod si antiquas statuas & signa ex aere & marmore, tamen si contracta ac mutila miramur, cur non etiam haec optimorum scriptorum fragmenta pari honore prosequemur? maxime cum ex iis longe major utilitas quam ex ullis vel perfectissimis signis percipi possit. Me certe in hisce Excerptis & describendis & interpretandis positae operae non paenitet.

BARTH. ADVERSAR. L. XV. C. I.

Quam farraginem variorum Epigrammatum immortalium in bonas literas meritorum P. Pirhaeus edidit, posse lon-

longe ampliorem non solum ex lapidibus  
priscis, sed & codicibus cæcis fieri  
nemo eruditiorum inficiabitur. Utinam  
verofaceret tandem quisquam hoc ex cor-  
datoribus: In nobis quantum est, non  
deerimus, suppeditaturi nonnulla per Eur-  
ropam hanc varie collecta, non sine sumptu  
& labore tædioque nostro.

IDEM LIB. XXXVI. CAP. XI.

Non pauca numero neque vilia ponde-  
re Epigrammata inedita habeo, quæ  
hinc inde priscis codicibus allita descripsi,  
unde Pithæana Collectio poterit fieri ali-  
quando locupletior.



## EPIGRAMMATA

E T

P O Æ M A T A  
V E T E R A.

**P**Ar Tibi, Roma, nihil cum sis prope tota  
ruina,  
Quam magni fueris integra, fracta  
doces.

Longa tuos fastus etas destruxit & arces,  
Cæsaris, & superum templa palude jacent.  
Ille labor, labor ille ruit quem divus Araxes  
Et stantem premuit, & cecidisse dolet.  
Quem magis optavit cum crimine solus habere  
Cæsar, quam socius & pius esse socer.  
Qui crescens studiis tribus, hostes, crimen, amicos  
Vi domuit, secuit legibus, emit ope.  
In quem dum fieret vigilavit cura priorum:  
Fuit opus pietas hospitis, unda locum.  
Materiem, fabros, expensas axis uterque  
Misit. Se muris obtulit ipse locus.  
Expendere duces thesauros, fata favorem  
Artifices studium, totus & orbis opem.  
Proh dolor! urbs cecidit, cuius dum specto ruinas  
Penso statum, solitus dicere, Roma fuit.

Opitius Variarum Lect. lib. c. xi 11. Pith. Veter. Epigr. L. 1. p. 70.

A

Urbs

## 2 Epigrammata &amp;

Urbs cecidit : de qua si quicquam dicere dignum  
 Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit ;  
 Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis <sup>a</sup>  
<sup>b</sup> Æternum potuere hoc abolere decus.  
 Cura hominum potuit tantam componere Romam  
 Quantam non potuit solvere cura Deum.  
 Confer opes, marmorque novum superumque favorem  
 Artificum vigilant in nova facta manus.  
 Non tamen aut fieri par <sup>c</sup> stanti machina muro  
 Aut <sup>d</sup> instaurari sola ruina potest.  
 Tantum restat adhuc, tantum ruit, ut neque stans par  
 Æquari possit, diruta nec refici.  
 Hic superum formas superi mirantur, & ipsi  
 Se <sup>e</sup> cupiunt fictis vultibus esse pares.  
 Non potuit natura deos hoc ore creare,  
 Quo miranda Deum signa creavit homo.  
 Vultus adest his numinibus potiusque coluntur  
 Artificum studio quam Deitate sua.  
 Urbs felix si vel dominis urbs illa careret,  
 Vel Dominus esset turpe, carere fide.

<sup>a</sup> Alii. hostis. <sup>b</sup> Al ad plenum potuit. <sup>c</sup> Al. tanto <sup>d</sup> Al. re-  
 staurati <sup>e</sup> Et al.

## I N C E R T I.

Romulus aggreditur regnum qui condidit urbem  
 Prima Remus quoniam mœnia transit, obit.  
 Et Numa divinis implevit cultibus urbem,  
 Tullius inventis fascibus arma ciet.

*Ancus Aventinum montem superaddidit urbi,  
 Prisce triumphali primus honore tumes.  
 Tullius invenit censum, Vulcania proles,  
 Tarquinius Sexti criminis pulsus abijt.*

Dempsterus ex I. Cuspiniano in Fastos Cassiodori. in Rosini  
 Antiq. Rom. l. 1. cap. 10.

## AD FONTEM.

*Iste salutaris fons continet inclitus undas,  
 Et solet humanam purificare luem.  
 Munia sacrati quæ sint vis scire liquoris?  
 Dant regnatricem flumina sancta fidem.  
 Ablue fonte sacro veteris contagia vitæ,  
 O nimium felix vive renatus aqua.  
 Hunc fontem quicumque petit, terrena relinquit  
 Subjicit & pedibus cæca ministeria.*

Sirmondus ad Sid. Apollinar. pag. 40. depromptit ex Bi-  
 bliotheca Palatina ex codice S. Marix Verdunensis ad Eccle-  
 siam S. Laurentii in Damaso, quæ alio nomine appellatur  
 in Prasino.

## In Basilicæ S. Pauli pavimento.

*Post mortem si vivit amor si gratia prisca,  
 Durat in arcanum mentis adacta bonum.  
 Quamvis luctificum, fratris tamen accipe carmen,  
 Ne mala sit tumulis externa lingua tuis.  
 Te natura parens omni depinxerat arte,  
 Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.  
 Purus amicitiae cultor, servator honesti,  
 Eloquio miseros, vel pietate fovens.*



Epigrammata &

4  
*Hinc est quod toto semper te flebimus ævo  
 Quod fuerat juveni vis tibi multa senis.  
 Te genitrix, fratresque simul te compare luctu  
 Perpetuis lacrymis plangit amata domus.*

Joseph. Castalio in Adnot. in Rutilii Lib. 1. vers. 49.

Romæ in Pavimento Templi S. Martini  
*His pater ac mater mæstum solantur amorem  
 Solventes nato, triste ministerium.*

Idem ad vers. 369.

*Mævius à castris miles melioribus ausus  
 Hostilem saltu præcipitare ratem.  
 In damnum felix, & Victor ut impius esset,  
 Nescius occiso fratre superbus erat.  
 Dum legit exuvias, hostiliaque arma revellit.  
 Fraternos vultus oraque nota videt.  
 Ille ferox. Quid lenta manus nunc denique cessas?  
 Justius hoste tibi qui moriatur adest.  
 Fraternali res nulla potest defendere cædem,  
 Mors tua sola potest, morte levanda tua est.  
 Viximus adversis, jaceamus partibus isdem,  
 Dixit: & in dubio est utrius ense cadat.  
 Ense meo moriar maculato cæde nefanda?  
 Cui moreris, ferrum quo moriari, dabit.  
 Dixit, & in fratrem fraterno concidit ense.  
 Victorem & victum condidit una manus.*

D. M.

Hoc Epigramma vetus existat in Notis Lipsii ad Tacitum  
 pag. 382. a Scaligero vulgatum.



D. M.

Hic jacet ex ——— Aberia  
 Felici ——— hanc con  
 Jun ——— dri-cum quo-  
 Vixit casta viro ——— sortita per annos  
 Attius ——— obita-  
 ——— Requie ——— aravit.

Tollius Fortuit. cap. 30. pag. 315.

## A R E L A T E.

Debita conjugio Apelles pia carmina scribit,  
 Quam rapuit mæsto mors inimica viro.  
 Hac debeat memores postrema in morte referre.  
 O requiem gratam, quam pia cura dicat.  
 Conjugis officium testatur carmine parvo  
 Extremumque tibi refero munus Sempronia,  
 Dulcis, casta, viro reverens, pia, kara fidelis:  
 Tot damna amissa conjuge jure fleo.  
 Te lapis obtestor, leviter super ossa quiescas,  
 Et mediæ ætati ne gravis esse velis

Sext. Pompejus Apelle; conjugii incomp.

Tollius. Fort. c. 32. pag. 312. veru sexto munus superabundans glossema est.

Romæ in Basilica S. Haganæ olim descriptum,  
 tenet codex S. Mariæ Virdunensis.

Hoc Auguste quidem tumulo tua membra teguntur  
 Sed numquam meritum parvula claudit humus.

A 3

Corpus

Corpus habet tellus, animam caelestia regna,  
 Hic sedes proprias singula rite tenent.  
 Devotus Domino vixisti corde fideli.  
 Presbyteri officium sub pietate gerens.  
 Largus pauperibus, dives tibi, carus amicis,  
 Divinae legis jussa verenda colens.  
 Es felix, laudum tanto cumulatus honore,  
 Perpetuus merito jam fruiture bonis.

è Sirmondo ad Sidon. Apollinar. lib. vii. ep. 27. pag. 80.  
 Reines. Inscript. class. xx. N. 33. pag. 905.

Cneus Martius vates autor vetustiss.

Romulidae, si perduellis expellere vultis,  
 Et vomicam, quae gentium longe alienigenarum  
 Venit, Apolineri voveatis censeo ludos,  
 Quique Apolineri fiant commune quotannis.  
 Præteribus ludis faciundis ollu præesto  
 Qui summum populo plebeique endo Urbe dabit jus.  
 Populos publicitus cum diderit è stipe partem,  
 Conferinant uti privatim pro seque suisque.  
 At bis quinque viri sacra Græco ritu obeunto.  
 Hæc si faxitis recte gaudebiti, semper,  
 Atque adeo fiet melior res publica vostra.  
 Nam is Deus vestros perduellis stinguet ad unum,  
 Qui vestros campos placide nunc ruraque pascunt.

Scaliger. in Varronem de L. Lat. pag. 23.

In Cascarum fratrum mortem.

Occidere simul Cascae, simul occubuerunt  
 Dextra quisque sua, qua scelus ausus erat

*Castra eadem fovère : locus quoque vulneris idem.  
 Partibus afflictis victus uterque jacet.  
 Quanta fuit mentis, tanta est concordia fati,  
 Et tumulus cinerem parvus utrumque tegit.  
 Par fratrum multo celebrandum carmine vatum,  
 Una si fierent parte minus gemini,*

Isaac Casaubon. Animadvers. in Sueton. pag. 64.

*Parce hospes tumulo, Cæsar Germanicus hic sum  
 Sæpe etiam ignotis ipse dedi requiem.  
 Quod si quem tumuli nihil huius gratia tangit,  
 Admoneat patriæ fraude quod hic jaceo:  
 Sed jaceo quamvis non vitæ & plenus honoris:  
 Hoc uno ingratus quod genui patriæ.  
 Testata est mores lacrymis plebesque patresque  
 Hac sunt sinceri judicicia ingenii.*

Exstat apud Casaubon. in Animadv. in Sueton. pag. mi-  
 hi. 232.

### In Caninium.

*Quoad vixi, vixere omnes inter meos.  
 Eundem mi amorem præstat puerilem senex.  
 Monumentum indicio est, saxo septum ac marmore.  
 Isaac Casaubon. in Animadv. in Sueton. pag. 281-*

### Fragm. Epigramm. inediti.

*Hortis Hesperidum, Sabelle, cultis  
 Nostræ cultor Hortus est puellæ.  
 Mirari & bone desinas Sabelle;*



*Hortorum Deus ipse nam Priapus  
Cunctis hunc fodit & rigat diebus.*

Aeg. Menagius in notis in Diogen. Laërtium pag. 77. B. ed.  
Lond.

## DE GALATEA.

*Diffugiens pontum silvas Galatea peragrat.  
Custodem ut pecorum cernere possit Acin.  
Nam teneros gressus infigit sentibus ardens,  
Nec tamen alta pedum vulnera sentit amor.  
Ipsa cupidineæ cedunt elementa pharetræ;  
Cujus & in mediis flamma suburit aquis.*

exstat apud Nicol. Heinsium in notis in Claudianum  
pag. 236.

*Vetus Auctor de gestis Benengarii ineditus.  
desertus amicis*

*Stat rationis inops, utrumne inglorius armis  
Abscedat, recidivo animam servare duello  
Redditus, an pulchram properet per vulnera mortem.*

Nicol. Heinsius in Notis in Claudianum. pag. 254.

*Vetus Epigramma ineditum.*

*Exsultent Apono Veneti, Campania Baiis,  
Græcia Thermopolis, his ego balneolis.*

Nicol. Heinsius in notis in Claudianum. pag. 261.

## DE DULCIO.

*Nectareo muro dulces cinguntur arena.*



## DE HIPPOPOTAMO.

*Utraque fecundo nutritur bellua Nilo  
Quæque vorat morsu, quæque sub ore fremit.*

## QUÆ IN MENSA DE SARDONYCHE LAPIDE.

*Mensa coloratis aquilæ sinuatur in alis,  
Quam floris distinguit honos, simulisque figura  
Texitur. Implumem mentitur gemma volatum.*

Nicol. Heinsius è codice Vaticano Claudiani in notis in Claudianum. pag. 274.

## Exstat in Bibliotheca Leydensi.

*Bis genitus, sine matre opifex, sine patre redemptor,  
Amplus utrisque modis, amplior unde minor.  
Spiritus huic genitorque suus sine fine coherent,  
Triplicitas simplex simplicitasque triplex.  
Sic voluit nasci, domuit qui crimina mundi,  
Et mortem iussit mortuus ipse mori.*

Nicol. Heinsius in notis in Claudianum. pag. 276.

Epigramma ineditum, quod Nasoni adscribitur in vetustissimo codice.

*Jam nitidum tumidis Phœbus iubar intulit undis  
Emeritam renovans Tethyos amne facem.*

Nicol. Heinsius in not. in Ovidii Metamorph. L. xv. pag. 404.

## LUXORIUS

## DE AQUIS CALIDIS CERNENSIBUS.

*Ardua montanos inter splendentia lucos*

A 5

Cul-

*Culmina, & indigenis nunc metuenda feris,  
 Qua deserta prius solum nemus antra tenebant,  
 Tetraque inaccessam fecerat umbra viam.  
 Qua vos laude canam, quantoque in carmine tollam?  
 In quibus exstructa est, atque locata salus.  
 Hic etiam ignotas stupet ad prætoria fervor  
 Plenior, & calidas terra ministrat aquas.  
 Quis sterilem non credat humum? fumantia vernant  
 Pasua. Luxuriat gramine cocta filix.  
 Innocuos fetus membris parit intima tellus,  
 Naturamque pio temperat igne calor.  
 Et quum sic rigidae cautes fervore liquecant,  
 Contemptis audax. Ignibus herba viret.*

*Versu tertio vetus codex mendosissime quo d. p. solo nemus  
 intra tenebat. versu quarto. sederat umbra vana. versu sexto In qui-  
 bus exstructa est.*

*Nicol. Heinsius ex Epigrammatibus ineditis quæ vidit apud  
 cl. Petrum Scriverium, in notis in Claudianum. pag. 262.*

**LUXORIUS** sive quis alius illorum tempo-  
 rum poëta in codice M. S. Salmasii  
 de Rosa.

*Aut hoc risit Amor, aut hoc de pectine traxit  
 Purpureis Aurora comis, aut sentibus hæsit  
 Cypris, & hic spinis insedit sanguis acutis.*

Eiusdem Auctoris esse Epigraphæ ostendit,  
 cujus illud carmen, quod incipit *O quales  
 ego mane Rosas.* Eidem quoque sequens at-  
 tribuitur.

## DE ROSIS.

Hortus erat Veneris roseis circumdatus herbis,  
 Gratus ager Dominæ: quem, qui vidisset, amaret.  
 Dum puer hic passim properat decerpere flores,  
 Et velare comus, spina libavit acuta  
 Marmoreos digitos: mox ut dolor adtiguit artus,  
 Sanguineamque manum, tinxit sua lumina gutta,  
 Proruit ad Matrem frendens, desertique querellas:  
 Unde Rosæ, Mater, cæperunt esse nocentes?  
 Unde tui flores pungunt latitantibus armis?  
 Bella gerunt mecum. Floris color & cruor unum.

Petr. Scriverius in Animadversionib. in Pervigilium Veneris  
 pag. 453. 494. Baudii Amor.

## De tablista furioso.

Effundit tabulam, mensam, subsellia, pyrgum,  
 Perditæque harpyæ æra rapit manibus.  
 Ludit cum multis Vatanas, sed ludere nescit,  
 Et putat imperio currere puncta sua.

Salmaf. in notis ad Hist. Aug. Scriptor. T. 2. pag. 755. 13.  
 Ibid. pag. 760.

In Diaconum festinantem ad prandium  
cauponis.

Quid festinus abis ventre impellente sacerdos?  
 An tibi pro Psalmis pocula corde sedent.  
 Palpita templorum, ne pulpita quære tabernæ:  
 Numina quo laudes non phialas reseres.

Salmaf. in notis ad Hist. Aug. Script. T. 1. pag. 158.



## LUXURIUS

in Epigrammatis de eo qui amicos ad prandium clamabat ut plura exposceret xenia.

*Gaudeo quod me nimis ac frequenter  
Ambitu pascis Blumarit superbo.  
Unde sed pascor, mea sunt per omnes  
Sparsa convivias bona. Nec volebam  
Pasceres quemquam, peteresque mecum  
Ne tibi quicquam detur unde pascas,  
Hoc tamen si tu vitio teneris,  
Me precor numquam jubeas vocari.*

Notabis in Lemmate Epigrammatis, clamare ad convivium positum pro *vocare*. quod idioma Italicum hodieque retinet. *Blumarit* est nomen proprium Vandalicum, vel Gothicum, qualia multa in illis Epigrammatis. Scripsit enim ille Luxurius Carthagine, & floruit sub Trasimundo Vandalorum rege. Sed hæc alias. *Salmas.* in notis ad *Hister. Aug. Scriptor. T. 1. pag. 161.*

## DE ROSIS.

*O quales ego mane Rosas procedere vidi!  
Nascebantur adhuc: neque erat par omnibus ætas.  
Prima papillatos ducebat — Corymbos  
Alterâ puniceos apices umbone levabat,  
Tertia non totum calathi patefecerat orbem,  
Quarta simul nituit mutato tegmine floris,  
Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum.*

*Huic*



*Huic dum virgineus pudor extenuatur amictu.  
Ne pereant, lege mane rosam, cito virgo senescit.*

Lacuna quæ versu tertio est, videtur commode suppleri posse, si scribatur *nata aut spica*. Versu penultimo *ro extenuatur* nonnihil turbat. Lege cum Salmasio *extenuatur* & vide Edyllium de Rosis ubi simile. Versu ultimo adscriptum erat à doctâ nescio quâ manu cito quod videbatur desiderari. Ex eodem codice, ejusdem fere argumenti carmen exhibuit olim Salmasius ad Historiæ Augustæ Scriptores. Tom. 1. pag. 155. ed. Leyd. nempe hoc & quidem nomine.

## F L O R I.

*Venerunt aliquando Rosæ. Prob, veris amœni  
Ingenium! una dies ostendit spicula Florum,  
Alterâ pyramidas, nodo majore tumentes  
Tertiâ jam calathos: totum lux quarta peregit  
Floris opus. Pereunt hodie, nisi mane legantur.*

Petrus Scriverius in Animadv. in Pervigilium Veneris pag. 446.  
Amor. Baudii. Salmaf. ad August. Histox. Scriptor. pag. 155. Tom.  
1. ed. Leydens.

## Incert. Auctor. De TABULÂ.

*Adversis punctis dictum se nemo fatetur,  
Vulnera plus crescunt punctis, quam bella sagittis.*

Salmaf. in notis ad Hist. August. Script. Tom. 2. pag. 760.

## Incertus.

## DE PYRRICA.

*In spatio Veneris simulantur prælia Martis,  
Cum sese adversum sexus uterque venit.*

Fæmi-

*Fœmineam maribus nam confert pyrrica classem,*

*Et velut in morem militis arma movet.*

*Quæ tamen haud ullo calibis sunt tecta rigore,*

*Sed solum reddunt buxea tela sonum.*

*Sic alterna petunt jaculis, clypeisque teguntur:*

*Nec sibi congressu vir nocet aut mulier.*

*Lusus habet pugnam, sed habent certamina pacem:*

*Non remeare jubent organa blanda pares.*

Salmaf. ad Hist. Aug. Scriptor. Tom. 1. pag. 179.

### E Veterum Poëtarum Catalectis

*Qualem Flacce velim quæris nolimve puellam.*

*Nolo nimis facilem difficilemque nimis.*

*Illud quod medium est atque inter utrumque, probatur*

*Nec volo quod satiet, nec volo quod cruciet.*

Salmaf. ad Hist. August, Script. Tom. 1. pag. 187.

### I N C E R T.

*Egregios procures currum servare Cybellæ,*

*Quem traheret conducta manus Megalensibus actis,*

*Arboris excise truncum portare per urbem.*

*Attin castratum subito prædicere solem.*

Salmaf. ad Hist. August. Script. Tom. 1. p. 729. & 805.

### I N C E R T.

*Pauperis omne nefas, facile scelus aptus ad omne:*

*In pretium propius, despector numinis, audax,*

*Vilis, inops, scævus, turpis, temerarius, ardens,*

*Perditus, abjectus, maledictus, sordidus, arment*

At

*An non sunt isti, quorum de nomine multi  
 Ducere concessis dum nolunt artibus ævum,  
 Cædibus infamant sylvas, & crimine cauto  
 Insidias tendunt domibus, gregibusque rapinas?*

Salmast. ad Hist. August. Script. Tom. 1. pag. 737.

*Horrida cornuto processit bellua rostra.*

Id. ibid. p. 133. Tom. 2.

\*

*Fert tamen, & domus residentis iussa magistræ,  
 Quoque velit domitor cogitur ire ferus.*

Id. ibid. l. c.

## A B I T I

### ALLOCUTIO SPONSALIS.

*Linea constricto de pectore vincula solve,  
 Et domino te credo tuo: nec candida lædas  
 In quibus ora vide, vel ne contacta repugnes.  
 Est in nocte timor, non est in nocte periculum.  
 Nec volo contendas: vinctus cum vicerit ille.*

Id. ibid. l. p. 214.

\*

*Xerxes magnus adest, totus comitatur euntem  
 Orbis. quid dubitas Græcia ferre jugum?  
 Tellus iussa facit. Cælum texere sagittæ.  
 Abscondunt clarum Persica tela diem.  
 Classes fossus Athos intra sua viscera vidit.  
 Phryxææ peditem ferre iubentur aquæ.  
 Quis novus hic hominum, terramque, diemque, ætæque  
 Permutat? certe sub Iove mundus erat.*

Id. ibid. pag. 365

\*

*In parte alveoli pyrgus velut urna refedit,  
Qui vomit internis tesserulas gradibus.*

Salmas. ad Hist. Aug. Script. Tom. 2. p. 755.

De Tabula,

*Contorquet varios alternans tessera missus,  
Fataque ludentium colus & urna probant.*

Id ibid. p. 756.

Vetus cento de alea.

*Quæ loca, quæve habeant gentes, ubi sistere detur.  
In summo collem qui plurimus, alter ab illo.  
Est locus.*

Id loco citato.

*Ossa minutatim fundo volvuntur in imo.*

Id loco citato.

*Terna tibi hæc primum fundo volvuntur in imo.*

Id ioco citato.

*Triginta magnos, adversosque orbibus orbes.*

Id. ibid. p. 757.

Epigr. Incert. Autor.

*Ludentium vario exercentur prælia fato,  
Russens an nitidus præmia sorte feras.*

Id. ibid. p. 758.

Aliud.



## Aliud.

*Namque acie æquali concurrit rufæus albo.  
 Ut gravibus damnis se domet alteruter;*  
 Id. loco citato.

## Incert.

*Quis tibi taurobolus vestem mutare suasis  
 Inflatu dives subito mendiculus ut esses:  
 Obsitus & pannis modicis tepesactus —  
 Sub terra missus pollutus sanguine tauri,  
 Sordidus, infectus, vestes servare cruentas,  
 Vivere cum speras viginti mundus in annos.*

Salmaf. ad Histor. Aug. Script. Tom. I. p. 804.

## Eficiata.

*Amisit proprias vacuato corpore carnes,  
 Accepitque novas, dedit ac tulit, & grave lucrum  
 Perdendo acquirit, damnnum bene crevit in illa.*

## De anseræ farto.

*Eminet impletus pullorum carnibus anser,  
 Et varias mensæ torridus ambit opes.  
 Inguinibus nam portat olus, ventrisque soluta  
 Truditur e medio eficiata nitens..*

Id. ibid. pag. 831.

## De Tabula.

*Indica materies, blandum certamen amicis  
Offert se, belli fert simulacra tamen.*

Salmast. ad Histor. August. Scriptor Tom. 2. p. 744.

## De Tabula.

*In parte alveoli pyrgus velut urna resedit,  
Qui vomit in terris tesserulas gradibus.  
Sub quarum jactu discordans calculus exit,  
Certantesque fovet fors variata duos.  
Hic proprium faciunt ars & fortuna periculum.  
Hæc cavet adversis casibus, illa favet.  
Composita est tabulæ nunc talis formula belli,  
Cujus missa facit tessera principium.  
Ludentes vario tum exercent prælia fato  
Russæus an nitidus præmia sorte ferat.  
Pascitur a multis avidæ damnosa voluptas,  
Ne fœdet gliscens otia segnities.  
Hoc opus inventor nimium Palamedis amavit,  
Et parili excellens Mucius ingenio.*

Id. loco citato.

## De Tabula.

*Has acies bello similes cano, quas Palamedes  
Constituit casu vario, paribusque periculis.*

Id. ibid. p. 747. & 753. leg. bellu.

## De Citrio

*Septa micant spinis felicis munera mali,  
 Quæ tulit ut circi aureus ora tumor.  
 Hippomenes vicit tali certamina malo:  
 Talia poma nemus protulit Hesperidum.*

## Post pauca.

*Stat similis auro citri mirabilis arbor,  
 Omnibus autumnæ anteferenda bonis.  
 Hæc ornant mensas, hæc præstant poma medelam,  
 Quum quatit in curvos tussis anhelæ senes.*

Salmaf. Plinianar. Exercitation. p. 671. ed. Ultraject.

## Veteris Poëtæ

## DE CLAUDIO TIBERIO NERONE.

*Ternos vetusti congios falerni  
 Uno die, convivis peractis  
 Tubos per amplas viscerum refundens  
 Hausit, potentum Romuli nepotum  
 Frenator audax, arbiterque Regum,  
 Jovis tonantis armiger minando,  
 Bacchi pluentis cantharus madendo,  
 Late patentis Imperator orbis,  
 Late æstuantis irrigator alvi.  
 Exinde plebs Quiritium vocavit,  
 Non Claudium Tiberium Neronem,  
 Sed Caldium Biberium Meronem.*

Super muros Asulæ, Castellum ad fl. Clesium,

*Asula sum muris circumdata pulchra duobus,*

*Asula præstanti splendida facta manu.*

*Desine dux belli de me sperare triumphum,*

*Frange opus hoc; hominum pectora murus erunt.*

è schedis Langerm.

Asulam, de qua videatur Leander Albertus in *descript. Lomb. Trans-pad.* Brixiani everterant A. D. 1125. Post ea tempora reparata muris inscripta ista. Venetis hodie parens, Asolum. *Reines. Inscript. Class. II. N. 34. p. 275.*

In Introitu Capuæ civitatis.

*Cæsaris Imperio regni custodia fio,*

*Quam miseros facio quos variare scio.*

è Schedis Langerm. Est de FRIDRICO II. Imper. à Suevis: rhythmus etiam & totus adparatus testatur de seculo. *Reines. Inscript. Cl. II. N. 36. pag. 276.*

Interamnæ, Umbriæ ad Narem fl. opido.

*Tirenus fecit, Trajanus me reparavit,*

*Ergo mihi Teranum nomen uterque fecit.*

è schedis Langerm.

A recentioris & barbari seculi litatore Itale ista sunt, & fabulosa Antiquitatis omnia sua ad Herculem libenter referentis sectario. Innuat autem Tyrrenum Lydi fratrem, Atyis filium, & Lydorum in Tusciam Ducem, Herculis ex Omphale nepotem, Str. l. v. Vellej. l. 1. Tac. iv. *Ann. 55.* In versu 2. lege *Teranum* quem dum nominat suo se indicio prodit: sic enim Interamna vix tribus quatuorve ab hoc seculis appellari cœpit vulgari Italianino nimirum *Terani* vel *Terni*. Iptum opidum in Insula Am-



mica, quam Nar efficit, situm, unde ei nomen satis Antiquum, cuius conditus in A. V. LXXX. quartum Olymp. XXVI. & antenatum Iesum D.C. LXXIII. conicitur. Reines. Inscript. Cl. II. N. 38. pag. 277. quid si legas Ergo mihi Teranam vel quod malo Ergo mihi Interanam.

Nemausi in base, cui statua infederat.

Patroni barbara famam.

Cujus Roma libris adserit ----

Amisos ornat titulis, en adspice ----

Quos habet incolumes fovit amore ----

Supremas error ne possit rumpere ceras

Arte sua cavuit, clausit operta fide.

Excipiet manes sua qui sine lite reliquit,

Laudabit studium cui sua cura caret.

Grass. in Antiq. Nemaus.

Est de Domitio Afro Oratore & Causidico, qui Imper. Nerone summis honoribus & multa eloquentia viguerat: Tac. L. XIV. an. 19. Nemausensem eum adpellat Hieron. Chron. n. MMLX. Librosejus Urbans dictorum, & duos de testibus laudat Fabius lib. VI. cap. 4. & IV. cap. 7. ut inter I Ctos recenseri debuerit. Amisissis liberis adoptavit Domitium Afrum Lucanum, & Domitium Tullum fratres: rem plene narrat Plin. l. XIX. ep. 18. estque de hisce versus quartus, Lacunam versus primi implevero. Fabula non laedet, vel invidia haud laedes Vers. 2. Imperium Vers. 3. natus Vers. 4. pio. Reines. Inscript. Synt. Cl. XI. n. 12. p. 613.

Romæ in ædibus Colotianis.

Speratus vix. mens. IX.

Flet domus, & cari lugent sine fine parentes

Abreptum fatis, contegor hoc tumulto.

Quis non exemplo doleatur mortis acerbe,

*Si me vidisses aut si mea funera nosset,  
Fudisses lacrymas Hospes in ossa mea.*

Speratus Attalus Politice matr.

è Ligorianis excerptis Langerm. Reines. Inscript. Cl. xii.  
n. 128. pag. 693.

*Romæ apud Leonhard. Augustinum.*

Cinyra mater sibi & filiis.

*Hoc Epio tumulo Cinir est cum fratre sepultus  
Ante suos annos quos tegit atra cinis.  
His tumulum parvum mater cum carmine fecit,  
Ingenio quorum terram optate levem.*

Vidit Langermanus. Reines. Inscript. Cl. xii. n. 133. pag. 695.  
Fleetwood. Inscript. Syllog. p. 210.

*Romæ in ædibus Cardinalis Crescentii.*

Marfidia Agath. ----

Marfidia Stab. -----

Euhemeris Fi. -----

*Si pietate aliquem redimi fatale fuisset,  
Marfidia Stabilis prima redempta forem.  
Quamvis mater eram natarum prole decora,  
Nam geminas habui karus eratque nepos.  
Septuaginta super messes natalibus egi,  
Summa senectutis præmia passa cremor.  
Quod si non ceneres Agathemeris immatura  
Auxisset nostros mater & ipsa foret.*

*Tunc ego nobilior cunctarum sorte fuissens,  
 Quippe superstitibus robori.....*

Sirmondus vidit: & Langermannus apud statuarium ad S. Andream. Idem addit. lapidem dimidiatum esse, & in resecta parte totidem versus sculptos esse. *Reines. Inscr. Cl. XIII. n. 16. pag. 709.*

Fani ad ædem S. Catharinæ.

V. F.

M. Amnolus Ponticus  
 Sibi & Sabinæ.

*Docta lyra grata & gestu formosa puella  
 Hic jacet æterna Sabis humata domo.  
 Cujus fatales pensare optaverat horas  
 Ponticus huic conjux ultima dona tulit.*

è Schedis Lang. & Sched. de Dis Germ. L. 3. cap. 44. particulam.

Domus æterna pro sepulchro in 6. DCCCIII. 5. DCCXC. 6. DCCCCXIV. 7. DCCCCL. 1. DCCCCLXXIX. Imp. Constant. l. 4. C. Th. de sepulc. viol. domus marmorea Tibullo L. III. El. 3. qui ædificia manium violant domos, ut ita dixerim, defunctorum. De Ægyptiis Diodor. Siculus L. 1. τῆς τῆς τελευτήτων τῶν αἰσῆς οἴκας παρασχεύουσι, ὡς ἐν αἰετῶν Ἰγυπτιῶν τῶν κείνων αἰῶνα. & hinc οἰκοδομῆν τῶν Scriptori sacro; Matth. 23. v. 29. *Reines. Inscr. Cl. XIV. n. 16. pag. 726.*

Neapoli, apud Spataphorum.

D. M. S.

— Julia Julianæ F.

— Quæ vixit an. XX. M. XI. D. VII.

*Possidet immeritum locus hic cito corpus iniquus,  
 Quæ talem vitam meruit ut cura senectus,*

*Noluerunt superi, cito perdidit omne nefandis  
Quod fuit ad superos quæ nullis invida vixit.*

C. Julius Victorinus

Et Ælia Theodote &

C. Vicirrius soter conjux. B. M. F.

è Capac. l. i. c. 21. p. 348. & Schrad. Mon. Ital. f. 251. expres-  
si & navi tamen adhuc insunt Reines. Inscr. Cl. XIV. n. 86.  
pag. 746.

Neapoli apud Spathaphorum tabula marmo-  
rea in medio parum excavata, cum quinque  
foraminibus, pro recipiendis per ea lacrimis.

D. M.

*Injice si pietas usquam est suspiria & imple  
Mecum hospes lacrimis marmoris hoc vacuum.  
Nam formæ exemplum periit cum obiit mea Lyda,  
Quam periere homines, vel periere dii.*

Capac. lib. i. cap. 21. pag. 349. Reines. Inscr. Cl. XIV. n. 105.  
pag. 752.

Romæ, in horto quædam sub vinea Pamphiliana.

A. Fabio daphno Fabia Pyralis conjugii  
carissimo posuit.

*Di talesque dabunt epulas meritis pro talibus illi,  
Et natum patri matris pietate probabunt.*

a Langermanno. Reines. Inscr. Cl. XIV. n. 195. pag. 780. quid si  
legas verba primo *Di que dabunt.*



Capuæ Visum a V. C. Camillo Peregrino.

*Una dies adimit crudeli morte peremptas,  
 Quis ara hæc positas pœna hominis miseri.  
 Filia namque perit periit & mater eundem  
 Deserit, illa patrem, deserit ista virum.*

Accipit deditque Nic. Heinsius. *Reines. Inscr. Cl. XIV. n. 200.*  
 pag. 781.

In monte Pausilypo inter Neapolim &  
 Puteolos.

*Quæ cineris tumulo hoc vestigia ? conditur olim  
 Ille hoc qui cecinit pascua rura duces.*

Mazellia de *Antiq. Puteol.* addit in eundem Virgilium XIV.  
 Poëtarum Scholasticorum disticha, tanquam *ἀθήνησια* : ea  
 vero in *Cataloëu Vet. Poët.* à Scaligero editis legi possunt. *Rei-  
 nes. Inscr. Cl. XVII. n. 81. pag. 841.*

In Umbria alicubi, seculi non optimi  
 ex optimis cento.

*De genitore mihi domus Umbria de genitrice  
 Hostia, Tibris ibi vitreus, nar hic fluit albus,  
 Ille ego qui vixi bis deno circine solis  
 Ore genas tenero vernans & robore pollens,  
 Miles eram, sum deinde civis ex milite factus.  
 Hoc solum hoc quia me caruit catum male fecit;  
 Quod pater & mater plangunt hoc plus male fecit.  
 Actum est, excessi, spes & fortuna volebant,  
 Nil jam plus in me vobis per secla licere.  
 Quod fuerat vestrum amisi, quod erat meum hic est.*

è schedis Langermanni.

B 5

Bis

*Bis deno circine solis expressit Poëta annos viginti. Circine*  
 Mascul. pro circo, circulo, circino: inde verbum *Circinatus*  
 usurpatum Sidonio *Carmin. 23. amittit tempora circinante Phœbo.*

Formatur etiam *circes, circitis, idem Sidon. Carm. 23.*  
*Spacioso circito farnix.*

Cl. Marius Victor *Masil. Pulcrum circite summo arcum curva mihi*  
*decorabit solis imago. Utitur Varro quoque & Solinus, cui è Sabo*  
*du Palat. restituit Salmasius. Inde Circellus, pro circulo quem*  
*superponit capiti qui aliquid in eo laturus est, etiam Arculus*  
*Felto. Reines. Inscr. Cl. xvii. n. 141. pag. 854.*

## Neapoli.

*χούριν hic nomen nudum vanumque relinquo,*  
*In cineres corpus & in æthera vita soluta est.*

è Schedis *Langerman. leg. χούριν in terra eram. χούριος pul-*  
*verum γὰρ ἔγραψεν χούριον dixit pro homine Ioh. Evahaita V. 223.*  
*Reines. Inscript. Cl. xvii. n. 145. pag. 855.*

Romæ, in ædibus Antonii Antiquarii.

D. M.

*Faustæ Rufinæ*

*Ossa, pila, cineres, qui sacri hic ecce quiescunt.*

*Guidio: & in Schedis suis Langermannus: in quibus tamen*  
*pro Faustæ Rufinæ jacet Julia Helu.*

Seculi non optimi esse, sculptura barbara & incorrecta pro-  
 dit, ut tamen sibi constet versus, legendum putem, & sic  
 scripisse autorem.

*Ossa pila, cineresque sacri hic ecce quiescunt.*

Hiatum, qui *πίλος περγών* est, etiam veteres Poëtas Latinos  
 admisisse, amasseque ut vocalis ante vocalem non exereretur, è  
*Tullio de Oratore* notum est: suntque ejus exempla apud *Navium,*  
*Ennium, & Titum Lucretium.* Sed aliud est, quo versus hujus stru-  
 ctura excusari potest & adferri possit: nimirum si dixerimus, adspi-  
 rationem H hic valere consonantem mutam, quod observamus in  
 illo *Tibulli lib. 11, cl. 1.*

*Dux pecorū hircus, auxerat hircus oves.*

Et in istis Valerii Flacci lib. II. *Argonaut.* v. 552.

*Omnibus in superos sœvus honor.*

Lib. VI. v. 612.

*Et summas abiit hibernus in Arctos.*

Lib. IX. v. 259.

*Quis novus inceptas tinxer impediit Hymeneos?*

Notavimus idem in Martiano Capella qui de Musica Orphei,

Arionis & Amphionis. lib. 12. p. 308. edit. Grotiano.

*Qua domitat Erebum, marmora, saxa, ferat.*

In Dracontio Hexaëm lib. I. v. 405.

*Ecce genus hominum ventura scire putatur.*

Lib. II. v. 160.

*— Pardidimus hac luce diem.*

ib. II. v. 166.

*Ecce quid impondet homini?*

Exempla in hanc rem plura suppedirabunt Eugenii Toletani, Venantii Fortunati, Aldhelmi Anglo-Saxonum Episcopi, Columbani, Alcuini Flacci, Theodulfi Aurelianensis, Engelmodi Sueffionensis, Modoini, Paschafii Radberti Carmina, in quibus infinitis occurrit, et H modo precedentem consonam naturam brevem producere, facta nimirum positione, ut in illo

Poëtæ Anonymi apud Order. Vitalem, lib. v. *Histor. Eccles.*

*Dapsilis in sumptu, culta satū habitu.*

Modo ut nec antecedens vocalis, nec consona M. elidatur facere; ut in illis Modoini

*Sæpe etiam didici hoc ē ab ore tuo.*

Et Theodulfi *Carm.* l. 1. v. 282.

*Multaque cum habeat, nil docet esse suum.*

Lib. I. v. 630.

*Si veniant ser opem his miserando piam.*

In arbitrio Poëtarum est, utrum H, antecedente scilicet M. litera, instar fortium consonantium synalæpham arceat, an pro modo sua fragilitatis admittat, inquit Beda, de *Metris.* Cap. de *Synal.* Unde adparet, non posse istiusmodi censure licentia excusari, vel etiam de censure exponi: quod visum est nonnullis. *Reinosf. Inscript.* Cl. XVII. n. 117. pag. 260.

ROMÆ apud Carthusianos, ubi olim  
thermæ Diocletiani.

D. M.

Quicumque es puero lacrimas effunde viator,  
Bis tulit hic senos primævi germinat annos,  
Deliciumque fuit domini, spes grata parentum,  
Quos male deseruit, longo post fata dolori.  
Noverat hic docta fabricare monilia dextra,  
Et molle in varias aurum disponere gemmas;  
Nomen erat puero Pagus at nunc funus acerbum,  
Et cinis in tumulis jacet & sine nomine corpus.

Qui vixit an. XII. mens. IX. diebus XIII. Hor. 8.

Collegii *Auriscum* mentio est in marmoribus a Grutero re-  
laris pag. CCLVIII & DC. XXVIII. Hic vero juvenum in  
hac arte peritorum, quorum primus annos natus erat XVII. se-  
cundus tantum duodecim. *Germinat* errore fabuli pro *Germinat*  
Sponius Miscellan. Erud. Antiq. Sect. VI. pag. 219. Vide *fis. Reia-*  
*Inscript.* Class. XVII. n. 175. pag. 363.

Romæ in vinea Nucciorum via Numantina  
ad portam.

Flaviæ Nicopoli fecit T. Ælius M. C. Lib.  
Stephanus Conjugi Carissimæ, & sibi & suis  
liberis libertabusque posterisque qui hoc moni-  
mentum vendere aut alienigenare voluerit da-  
bit ærario populi Romani H. S. ----

--- Post me exterum corpus intulerit aut is  
Qui emerit ----



in. F. p. x.      in ag. p. XII.

----- æ patiens vis scire viator

Flavia Nicopolis nomen dulce meum.

----- tris titulis quid noster Aratus

Et titulo spargam sæpe meas lachrymas.

----- at paulum consiste docebo:

O mihi si superi vellet prestare roganti,

----- qui-quondam carissima conjux,

Vel roseo, vel purpureo violæque nitore

Flavia Nicopolis.-----

Ut te præteriens gressu tardante viator

----- ra mihi dum vita manebit

Uderit hos flores, titulum legat, & sibi dicat,

----- qui es nisi mortis imago;

Hoc flos est corpus flavia Nicopolis.

Ut tuo de tumulo flores ego cernere novum

----- dire iterabo.

Crescere vel viridi ramo vel flore Amaranthi.

An. 159. erutum & jungendum iis quæ de Flavia Nicopolis  
 produxit Gruter, 9. M. CLV. descripsit e Ligorianis Langem.  
 Reines. Insér. Cl. XVI 1. n. 176. pag. 364.

### Prope Reate.

D. M.

Quid sibi vult quaris tellus congesta viator:

Offibus hic uxor miscuit ossa meis.

Nobilis Eufronia, facilis, formosa puella,

Docta, opulenta, pia, casta, pudica, proba.

Fortunam mirare meam verum exitus hic est;

Omnia

*Omnia mecum uno composui tumulo.*

*I nunc & quicquam votis melioribus opta.*

*Absumit tecum singula sarcophagus.*

Hermodoro Paragmio & Eufroniæ Pa-  
ragmiæ. lib. carissimis Hermodorus Præto-  
rius nomenclator posuit H. M. H. N. S.

è Langern.

Simul tumulari Conjugibus aliisque amantibus imprimis gra-  
tum & desiderabile. Hinc illud sepulchrum Tarenti inscriptum  
τ φιλωνων. *Valer. Maxim. lib. 1v. c. 6.* De Cleopatra unita sepul-  
tura perpetuam Antonio marito conjugem reddi desiderante Dio  
*lib. 21.* de Monica matre Augustini ipse *lib. 1x. Confess. cap. 11.*  
Cynthia ad Propert *lib. 1v. el. 7.*

*Nunc te possideant alia ; mox sola tenebo :*

*Mecum eris , & mixtu ossibus ossa teram*

De Pyramo & Thisbe *lib. 1v. Met.* de Paride & Onone eodem  
sepulcro clausis, Strabo *lib. 1x.* Consuetum idem parentibus libe-  
risque : in *Romana*, 10. DCCXV. pater, OSSA MEA MIXTA  
CUM FILIÆ UNA REQUIESCUNT. Et in *Gerund.* 11.  
DCCXXXII. Filius cineres Patris Matrisque suæ uno sepulcro po-  
suit, & xxv. post anno vitæ cineres admisceri suos iussit, ut  
quibus vivus conjunctus fuisset, in ultimo postea fato venien-  
te fieret conjunctior. Vid. ad *61. 394. class. xx.* etiam co-  
gnatis, Gentilibus, Collegis, Sociis commune id. Iason Idmonæ  
& Tiphyn eodem fato, eodem tumulo vel urna condit. Val, Flacc.  
*l. v. Argon. v. 58.* Phyllis, quæ nutrix fuerat Domitiani, reliquias  
ejus Juliæ Titi Filix, quam & ipsa educaverat miscuit Suet. *Domit.*  
*c. 12.* Crates & Polemon ejusdem professionis τ αὐτῶν τοῦ  
ἐκστρωσίτου, Laërt. *Adi. Meurs. Exerc. Criti. p. 11, lib. 11. c. 15*  
Priczum ad *Appul. lib. 1x. Met. pag. 434,* vide & 240. *Class. 1.*  
Reinesius *Inscrip. Class. xviii n. 22. pag. 871.*

Marmorea tabella Neapoli apud Spathapho-  
rum : in medio foramina aliquot habens  
pro immittendis suspiriis vel lacrimis.

*Verna puer , puer o mi , Verna quis ab quis ab aura  
Te in tenebras rapuit perditus heu morerer.*

Ni tecum assidue loquerer, ni sæpe jocando,  
 Fallerer hinc dum te continuo aspicio.  
 Semper ero tecum & si me sopor occupet umbram,  
 Te umbra petam ergo unquam ne metue abs te abeam.

Capac. lib. 1, cap. 21. qui tamen in aliquibus corruptam dedit.  
 Rines. Inscript. Class. XIX. n. 51. pag. 879.

Neapoli in Ecclesia S. Andreæ ad Diaconiam dictæ,  
 ad Nili sedile positæ, altari majore:

Hic requiescit Bonitus qui vixit annos XXI II.  
 depof. Id. Aug. in d. VII.

Heu quantos luctus renovas gratissime fili,  
 Bonite moriens, o decus atque dolor.  
 Qui bene cum ingenio florebas barbula grata,  
 Moribus ornatus, pulcher & acer eras.  
 O mihi quam subito requiescis nate suavis,  
 Heu spes clara mihi te sine vita gravis.  
 Hoc genitor cecinit Taurus lacrimabile carmen.  
 Cujus flamma urit pectus amore pio.

Capac. lib. 1. Hist. Neap. cap. 12. Barbula grata. Sermo patris  
 blandientis filio *Demetrio*, hoc est primum puberi: similis illi,  
 quo *Mustellam* adpellabat alius, in Rom. 369. inf. Rinesius In-  
 scrip. Class. XX. n. 41. pag. 907.

Mediolani in Basilica Apostolorum ea pars,  
 ubi conditæ sunt reliquiæ S. Nazarii, a Sere-  
 na Stiliconis conjugæ, Lybicus marmoribus  
 ornata fuit, ex voto.

Qua sinuata cavo consurgunt tecta regressu,  
 Sacratæque crucis flectitur orbe caput.

*Nazarius vita immaculabilis integer artus,  
Conditur exultans hunc tumuli esse locum.*

*Quem pius Ambrosius signavit imagine Christi,  
Marmoribus Lybicis fida Serena polit.*

*Conjugis ut reditu Stiliconis Læta fruatur,  
Germanisque suis pignoribus propriis.*

Simondus ad Ennodii Carm. xix. pag. 37. Morig. in Histor. Mediol. item Gruter. 4. MLVI. Reines. Inscript. Class. xx. n. 185. pag. 940.

**Epitaphium Senarii viri Ill. Quæst. Sacri  
Palat. quod ipse sibi fecit.**

*Ille ego sum mundi quondam sine fine viator  
Senarius, membris tumulo, non nomine clausus,  
Principis invicti semper sublimis amore,  
Cujus in orbe fui vox legum, lingua salutis,  
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ.*

*ἡγὴ τὰ λοιπὰ*

Reinesius Inscript. Class. xx. n. 182. pag. 940.

Neapoli in monast. S. Severini, inscriptum sepulchro S. Severini, quem è Pannonia in castrum Lucullanum transtulerant, & S. Sosii, quem è Miseni Promontorio adportarant, metu Saracenorum.

*Hic duo Sancta simul divinaque corpora jacent,  
Sosius unanimes & Severinus habent.*

Capac. lib. 1. Histor. Neap. cap. 13. pag. 161. In Versus primi oritu lege lectum pro jacent. Reinesius Inscript. Class. xx. n. 192. pag. 942.



In cœmeterio S. Agnetis, via Noment.

*Hic jacet abrepta extremo funere conjux,  
 Nomine Tecla mihi, quæ caro pectore vivens,  
 Demisit geminum pignus, si fata dedissent,  
 Crudeli tabe consortem sustulit unum.*

Deposita III. Cal. Decemb.

Aringh. lib. IV. c. 25. f. 75. Reines. Inscript. Class. xx.  
 n. 100. pag. 944.

Romæ in ædib. Abbatis Catinelli

*Suetrius Hermes hic situs est cui tertia conjux  
 Aram constituit digno, meritoque marito  
 Cum quo concordiam tam multosque per annos  
 Vixit & tenero casu sbita marito est.  
 De cujus fama multi cum laude locuntur  
 Quod fuerit cultor Domini rerumque & amator.*

Exscripsit Sponius. Miscelle Erud. Antiq. pag. 12. leg. quarto vers.  
 subtracta. Sed versum præcedentem non emendavit, ubi cl. To-  
 lius legi ebere arbitratur.

*Cum quo concordem vitam.*

In urbe Aixine Tarantasiæ, in Alpibus.

*Sylvane sacra semicluse fraxino,  
 Et bujus alti summe custos hortuli,  
 Tibi hæcæ grates dedicamus musicas<sup>a</sup>  
 Quod nos per arva perque b montis Alpico,  
 Tuique luci suaveolentis hospites,*

C

Dum

<sup>a</sup> alii maximas b i. e. montes.

*Dum ius governo, remque fungor Cæsarum,  
Tuo favore prosperanti sospitas,  
Tu me meosque reduces Romam sistito  
Daque Itala rura, te colamus præside,  
Ego jam dicabo mille magnas arbores.*

T. Pomponi Victoris Proc. (a) Augusti.

<sup>a</sup> i. e. Procuratoris.

*Sponius Miscell. Erud. Antiq. pag. 84. Fleetwood Inscript.  
Sylog. pag. 4. In versu septimo nescio descriptoris an marmo-  
rarii culpa scriptum sit tuo favore prosperanti pro tuo favore prosper-  
ranti. Cl. I. G. Gravius in notis ad Florum. pag. 133.*

*Romæ in Villa Cæsarini.*

*Festi Avieni filii Poëtæ, insignis memoria.*

*R. Festus V. C. de se ad Deam Nortiam.*

*Festus Musoni suboles prolesque Avieni  
Unde tui latices traxerunt Cæsia nomen,  
Nortia, te veneror, lare cretus Vulsiniensi,  
Romam habitans gemino proconsulis auctus honore,  
Carmina multa serens vitam insons integer ævum  
Conjugio lætus placidæ numeroque frequenti,  
Natorum exsultans vivax & spiritus ollis,  
Cætera composita fatorum lege trabuntur.*

*Sancto Patri Filius placidus.*

*Ibis in optatas sedes, nam Jupiter æthram  
Pandit Feste tibi, candidus ut venias.  
Jamque venis tendit dextras chorus inde deorum  
Et toto tibi jam plauditur ecce polo.*

*Quænam fuerit illa Dea Nortia, quam suis carminibus ve-  
neratur Rufius Festus, dicere arduum est. Eam quidem in agro  
Sutri.*

Sutrinorum præcipue cultam constat ex Tertulliano in Apologetico his verbis: Romanas, ut opinor, provincias edidi, nec tamen Romanos Deos earum: quia Roma non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione consentur. Crustuminiensium Belventinus, Narniensium Viridianus, Æsculanorum Ancaria, Volturniensium Nursia, Oriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia; Faliscorum in honore est Pater Curis. Ubi forte reponenda esset Nortia ad Volturnienses, nisi eadem sit ac Nursia. Quia tamen non admodum distant Sutrium & Vulturnium, fieri potest ut Vulturniensis hic poëta, Sutrinorum Deam Nortiam coluerit.

Festi cujusdam Proconsulis Asiæ, Valentis tempore meminere Zosimus & Suidas, eumque ut crudelissimum traducunt. Verisimilius est hunc Festum, cujus est lapis, eundem esse qui in inscriptione Atheniensi Rufius Festus proconsul Græciæ vocatur. R. enim potest esse Rufius. Filius autem indigitatur Avieni, quem non diversum esse ab illo poëta, cujus habemus Carmina, existimo. Unusque ex ejus illustribus proavis indigitatur Musonius, Philosophus ille Stoicus Apollonii Tyanai familiaris, sublatus a Nerone ob loquendi nimiam libertatem: Oriundus quippe ex eadem civitate, quæ patria Festi erat, Vulturnio nunc Bolsena Spon. Miscellan. Erud. Antiq. Sect. 111, pag. 99. De dea Nortia legas Britannici notas ad Juvenal Sat, x. vers. 74. Si Nursia, Tusco fuisse.

Lucius Scipio. Romæ reperta anno 1616:

Hunc oino plorurumve consentiunt R.  
 Duonoro optimo fuisse viro  
 Lucium Scipionem, filios Barbati,  
 Consul, Censor, Ædilis hic fuet,  
 Hec cepit Corsica, Aleriaque urbe  
 Dedit tempestatebus aide merito.

Fuit hæc inscriptio a Sirmondo antiquissima putata sicque ab eo explicata.

Hunc unum plurimi consentiunt Romæ  
 Honorum optimum fuisse virum  
 Lucium Scipionem, Filius Barbati,  
 Consul, Censor, Ædilis hic fuit.  
 Hic cepit Corsicam Aleriamque urbem &  
 Dedit tempestatibus adem merito.







## CIPPUS ROMÆ,

qui apud Gruter. exhibetur sine fig,

M. Junio M. F. Palatino Rufo.

Soterichus Pædagog. fecit.

Hæ sunt primæ tuæ meæque sedes,

Hæc certa est domus, hæc colenda nobis,

Hæc est quam mihi suscitavi vivus.

Marco Junio Marci filio Palatina tribu, Rufo Soterichus Pædagogus Epitaphium fecerat. Volumen ipsi porrigit. Retro puerum fasciculus voluminum sive, ut ait Iuvenalis, magno Comitibus in fascio libelli de quibus diximus supra in Scripniarius. Sponius Miscellan. Erud. Antiq. Sect. VI. pag. 229.

Romæ, in ædib. Barb.

L. Vectius Nymphius Aurifex. v. a. XVII.

Et te, terra, præcor leviter super ossa residas,

Sentiat ut pietas, præmia quæ meruit.

Et quicumque sui sincere præstat honorem,

Felicem cursum perferat ad superos.

Sponius Miscell. Erud. Antiq. Sect. VI. pag. 219.

Epitaphium præfecti ex ethnico Christ. facti.

Aquis Sextiis sub lectisternio marmoreo.

Stemmata præcipuum trabeatis fascibus ortum.

In odium leti hic sopor altus habet.

Qui post patricia præclarus cingola rector.

Subjecti <sup>XP</sup> colla subacto jogo.

Post ponens ultra mundi protendere pompas.

Et potens domeno solvere vota malens.

a i. e. Rector.

*Sic gemeno felix perfunctus munere gaudet,  
Egregius mondo Placetus & domeno.*

*Hoc tomolo cujus tantumnam membra quiescunt,  
Letatur patria mens, paradise, tua.*

è Schedis Peireskii.

Videtur hoc Epitaphium esse quarti sæculi sub finem, vel sub principium quinti quod deteriori orthographia, et si non mali versus, indicatur. Sic *Domeno* pro *Domino*, *Placetus* pro *Placitus*, & *tomolo* pro *tumulo* hinc legere esse qui loquendi modi sunt illius ætatis est Sponius *Miscell. Erud. Antiq. Sect. viii. pag. 286.*

## ROMÆ.

*Monumentum absolvi sumptu & impensa mea,  
Amica tellus ut det hospitium ossibus,*

*Quod omnes optant, sed felices impetrant.*

*Namque quid egregium quidve cupiendum est magis,  
Quam libertatis, ubi tu lucem acceperis,*

*Fessæ senectæ spiritum ibi deponere,*

*Quod innocentis argumentum est maximum.*

Romanum Epitaphium, hoc apud Mazochium in Romanis Epigrammatis refertur, sed ita deturpatum, ut ignorabile videatur. Correctius quidem Gruterus. p. DC. XXIV. l. 4. nectamen omnino recte. Estimabat autem Scaliger in Epist. quam vidi manuscripta ad Puteanum, alicujus elegantis poetæ comici, velut Afranii aut Thinnii Epigramma esse, quo pater aliquis familias in Comædia suos alloqueretur. Quidquid, en ipsum mendis purgatum, Sponius *Miscellan. Erud. Antiq. Sect. x. pag. 376.*

### Alani carmen ineditum.

*Ne te gulosæ Scylla voraginis*

*Mergat profunda nocte libidinum;*

*Præbe palato fræna modestiæ.*

*Libes*

Libes modeste Bacchica pocula.  
 Frangat Lyæi limfa superbiam.  
 Vini furorem flumina temperent.  
 Plebea, simplex, rara comestio  
 Carnis superbæ murmura conterat.  
 Lentus Cupido sic aget otia.  
 Frænentur in te fræna Cupidinis.  
 Largire visus pessula januis.  
 Frænans ocellos ne nimis improbos  
 Venenet extra luminis impetus.  
 Si quos habendi fervor inebriat  
 Exire cogant mente pecuniam.  
 Custos honoris, divitis usibus  
 Si tempus assit, si locus exigat,  
 Surgat sepultæ massa pecuniæ.  
 Nummos crumenæ funditus evomant.  
 Quævis honori munera militent.  
 Calcare si vis colla superbiæ.  
 Pensa caduceæ pondus originis:

Barthius Adversar. Lib. xv. Cap. ix. pag. 805.

### Epigrammata octo vetera.

#### I

Anguis edit terram, terræ bona temnere certum est.  
 Ne me cum terra pestifer anguis edat.

#### I I.

Essensum Christi poscunt mysteria corpus,  
 Namque ibi cor nostrum est, sunt ubi divitiæ.

*Divitias cælo Christi bona condidit arca.*

*Sic tormenta caro sensibus orba domat.*

## I I I.

*Facta hominem dictis, factis te dicta refutant,*

*Mens superest neutra non rea Lege tibi.*

*Hoc sentire Deum dabit experientia pacto,*

*Facta Deus dicit, ut tibi dicta facis.*

## I V.

*Qui salvus cupis esse, sequare per omnia Christum;*

*Vincla te opum retinent? abjice: vita fuga est.*

## V.

*Tolle pericla viæ; nemo venit ad sua tardus:*

*Hic nihil, in Christo sunt ibi cuncta mihi.*

*Sanguine de Jesu signata via exit ad astra.*

*Projice, homo, terram: sponte te ita astra levant.*

## V I.

*Nil ego non passus: quod me mortalia terrenæ?*

*Defecit pænis Zabolus ipse meis.*

*Vita mea est Christus: quis eam mihi tollere possit?*

*Hostis eram mihi; me spes mihi restituit.*

## V I I.

*Vita affecta mea est; Si non est, Christe, dabis, qui*

*Egi pro Satana, pro te ego uti patiar.*

## V I I I.

*Nil in me juris reliquum tibi; perfide Serpens,*

*Ipse etenim Christus spe mihi me eripuit.*



Quod diversi ad diversa studia nati sunt  
Elegia.

Quam variis fatis cœlestia sidera menteis  
Exagitant, nostro carmine pande, Erato.  
Ille tenax rigido tellurem versat aratro,  
Et stimulat bijuges per sua rura boves.  
Hic Baccho teneras conjungit in ordine vites,  
Ut repleat dulci concava vasa mero.  
Ille Ducum & Regum sequitur spectabilis Aulas,  
Donec sub titulum nobilitatus eat.  
Est alius quem fata ferunt ad Martia bella,  
Deliciasque suas vulnera sæva putat.  
Divitias alius cæcum concludit in antrum,  
Et spernit solitas, ventre famente, dapes.  
Est alius nomen qui gestit habere Poëtæ  
Nominibusque tribus nobilis esse cupit.  
Et quamvis nullo valeat deducere versus  
Quo numero, ignarus, stare poëma queat.  
Ille tamen Vatis titulum, nomenque Poëtæ  
Mentitur, vacuum nomen ab arte gerens.  
Cujus ubi releges sine mente sonantia verba  
Ceu crepitus ventris turpis, in aure sonant.  
Nil is divini aut humani scitve, tenetve,  
Grammatici tantum nomen inanis habet.  
Atque utinam Latiam Grajamve hic flectere linguam  
Noffet, ut olma gradus Philosophia tenet.  
Spuma volat ventis, sine calcis, arena, paratu  
Ars prociat hinc studiis ingeniumque latent.  
Antigonus tibi dederat sua dono Poëta,

Ut de se nullum scribere mallet opus.  
 Inter mortales nemo est sublimior artem  
 Quam, qui describit fata, Poëta bonus.  
 Nascitur hic melius quam præceptore creatur,  
 Cælesti ingenium cuius ab arce venit.  
 Divinumque sua conscendit ad æthera mente  
 Verbaque Apollineo comparat eloquio.  
 Hæc tria si quis habet vere sibi nomina Vatis  
 Accipit, & cunctis carmine gratus erit.  
 Sorte sua contentus erit, parvoque beatus.  
 Divitiasque suas carmina sola putet.  
 Induit hic tetrum, simulata mente, cucullum,  
 Fomenta ut vitæ possit habere suæ.  
 Indoctum tandem quem Sors ut tollit in altum,  
 Ad quæstum toto volvitur aucupio.  
 Et cupiat toto depulsas æthere Musas,  
 Palladium nullo nomine dogma putat.  
 Hic habitu & verbis & gestu relligiosus,  
 Pectore sub vapido noscitur esse Lupus.  
 Ebrius hic tota deijccat pocula nocte,  
 Omnivori solum gaudia ventris amans.  
 Astrorum petit ille vias zonasque patenteis,  
 Climata certa suo dinumerans radio.  
 Ille vagus quærit per vastum flumina Mundum,  
 Oceanique sequens littora cuncta notat.  
 Hic mare velivolum, plenum male mollibus Euris  
 Scandit, & æratas in lucra damna rates.  
 Et populos gentesque petit quas Phæbus ad ortum  
 Quosque per occasum mensura Luna videt.

Ille genethliacam prædicit fata per artem,  
 Et manibus pingues tractat Ephemeridas.  
 Illis non alia est regio fecundior ulla,  
 Quam quæ de Franco nomine nomen habet.  
 Est qui fortuitis prædicat tempora punctis  
 Quemque tenet glabrâ linea ducta volâ.  
 Hic quærit numeris arcana ænigmata fr. Etis,  
 Et magicis verbis sacra prophana facit.  
 Ille videt vitroque docet prævisa futura,  
 Evocat hic manes, Tartareumque Chaos.  
 Alter in explicito probat omnia condita verbo  
 Bisque duas Samio jactat ab ore Notas.  
 Non opus est ullo subigenda ad talia velo,  
 Nobis cum nata est cuncta superstitio;  
 Cum Deus hunc sacro perfecit pectore mundum  
 Ut hil huic addi diminuire queat.  
 At temere illi audent naturæ vertere leges.  
 Arcanumque Dei vendere consilium.  
 Hinc tales sua cura fugit, Deus odit hiantes,  
 Ut qui prostituant condita fata Deo.  
 Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit,  
 Quandoquidem violat jusque piæque Dei.  
 Inde parum illorum constant mentes, animique,  
 Vitaque diva hominum mille pericula subit.  
 Hic cupidus tacito dementat in igne metallum;  
 Promittens spebus aurea dona suis.  
 Est quem per totum Dialectica sauciat ævum,  
 Cui lis de rebus nominibusque placet.  
 Bella, Chimera, tuo cui sunt rabiosa tumultu,  
 Et



Et fervet longis rixa profunda stolis.  
 Cum res defendit: his nomina prætulit alter,  
 Pro quorum rixis nec faba detur iners:  
 Hi jam Europæas gymnasia cuncta per oras  
 Implent, & rixas per tria lustra docent,  
 Nemo hic quid dicat sententia dia Platonis,  
 Noverit, aut Plini vel Ciceronis opes.  
 Dum quæris sapiant quid Epictetus aut Plato, summa  
 Lumina per Gratium quæ micuere Sophôs.  
 Nemo magis multo respondeat, aut tibi quiddam  
 Quo Latine non sit reddere deinde sono.  
 Est qui Romanam sine lege recurrat ad urbem,  
 Absentes nummos jusque piunique vocans.  
 Dives ubi multis altaribus est, pia Baccho  
 Et ventri Venus, huic virque puerque vacanti.

Barth. Adversar. lib. xli. c. xvi. pag. 2094.

### De Myrrha patrem fugiente.

Cerne Arabem, Myrrham temerati à crimine lecti  
 Patria præcipiti linguere regna fugâ.  
 Pone sequens genitor vi vindicis imminet ensis,  
 Et premit incestæ jam pede Pœna pedem.  
 Donec mutata in fontem projecta figura est,  
 Sic quoque non certo limfa liquore fugit.

C. Barthius Adversar. Lib. xvi. Cap. i. pag. 224.

In Æneam patrios Trojæ penates cum  
 patre igni efferentem.

Cum patrem & patrios ferret cervice penates,  
 Atque adedè ingentis fata noverca Afæ.

Roma.



Romanosque Deos, Europæosque triumphos,  
 Totius & mundi exsuvias spolia,  
 Tros Anchisiades; poterat periisse per ignes  
 Amonia ut virtus, tracta erat ante rotâ,  
 At cum flamma furens tetigit sevi sora parentis,  
 Dissiliit nullis noxia turbinibus.  
 Fata operi restent, Pietas si sola favebit.  
 Invictum in mediis ignibus obsequium est.

C. Barthius Adversar. lib. xvi. cap. 1. pag. 824.

SYMMACHUS de BOETHIO

Fortunæ & Virtutis opus, Severine Boëthi,  
 E patria pulsus non tua per scelera.  
 Tandem ignotus habes qui te colat, ut tua virtus;  
 Ut tua Fortuna promeruitque Sophos.  
 Post obitum dant fata locum, post fata superstes  
 Uxoris propriæ te quoque fama colit.

Barth. Adversar. lib. lvi. cap. x. pag. 2652.

RABANUS de BOETHIO.

Cruce Christi sequitur de summo stemmate natum,  
 Exsilium meruit dum tibi, Gothe, placet.  
 At Christo placuit, cum non tibi, Gothe placeret,  
 Et meruit Vitam perpetuamque Sophus.  
 Instruit in terris virtute Latina \* \*  
 In cælum sequitur Cruce pia \* \* \*

Barth. Advers. Lib. lvi. Cap. x. p. 2652.

## Epigramma in SENECTUTEM.

Utilis es nulli, cunctis ingrata, Senectus  
 Te stygio peperit cava Megæra Deo.  
 Nil adeo firmum est quod non tua robora frangant,  
 Arma, stuos, cartas, saxa, metalla, Deos.  
 Carmina uvæci membranæ illita succo  
 Annorum serie debilitata cadunt.  
 Ipsa mihi pugnas quæ necere mille solebat,  
 Æquales inter maxima dicta suas.  
 Nunquam sueta nisi jugulato cedere ab hoste,  
 Inque imis mortes quærere visceribus.  
 Virgineis ambita choris, adamata puellis,  
 Quamque hostes etiam charam habuere sui.  
 Illa caput roseum florenti Sandice cinctæ,  
 Languida cæruleo mentula victa situ est.

Berth. Advers. Lib. xxxv. C. xi. p. 1650.

## OTHONIS FRAGMENTA ETHICA.

## I.

Quid non vel rerum vel honorum cæca cupido?  
 Quid non ambitio & fulvi sitis audeat auri.

## II.

Rerum adeo imperio servit quoque summa potestas.  
 Et quas ipsa solet largiri lumine cæco  
 Fortunam moderantur opes; nec jam nisi varo  
 Tramite successus infert incauta benignos.  
 Pastor avaritiæ stimulis & fulgure turgens,  
 Mentiti capitis, commissum turbat ovile;

Et

Et pecus obscœnum fadata verberè caudæ  
 Spargit in omne genus privata tormina labis.

## III.

Præcipitat stultas petulans audacia mentes,  
 Opprobriumque minax & fallax ambiguarum  
 Credulitas rerum; quarum fallacia stultos  
 Negligit, & properæ struit instrumenta ruinæ.

## IV.

Heu quantum miseris (heu quantum!) stulticiarum  
 Nutrit in humanis divina potentia rebus.

## V.

— quantum divina potentia juris habere  
 Rebus in humanis docet: arcens omnia nutu  
 Provida cura Dei; si quid permisit iniquum;  
 Vergit in oppositam tum vult sententia partem:  
 Parcite **MORTALES** animos extollere fastu  
 Collatos opibus aspernarique minores.

## VI.

Sortitur subitas, res quæ modo certa, ruinas,  
 Et modus absque modo, moderamine non eget, immo  
 In se deficiens, extra se nulla moratur.

## VII.

Pendeat ambiguo quamvis dilatio fine,  
 Cedere principio malo, quam credere fini.

## VIII.

Quam varios casus humanis fata ministrant  
 Stultitiis; ea præcipitant plerumque, quod ordo  
 Debitus, in certas homini prædestinat horas,  
 Eheu quam multos fortunæ negligit error,

*Quæ dum successus infert incauta benignos  
Hoc ipso fit, quo cepit prodesse, nociva.*

## I X.

*Gens hominum, quocunque ferat levis aura labores,  
Provisum sic esse putans, nec posse caveri  
Quicquid contingat, vocat immutabile fatum.*

## X.

*Letius est quotiens magno sibi constat honestum,  
Sunt pretii magni cum magno parta labore.*

## X I.

*Mandetur famæ fidei non indiga virtus.*

## X II.

*Quis credet vulgo, cum nec sibi credere vulgus  
Audeat, & tangant etiam mendacia summos?  
Nimirum quos tam fas contemere licenter  
Cernimus, ut vel bis velter jurata relinquunt.*

## X III.

*Fama malum solita viget in se garrulitate  
De minimo veri mendacia multa refingit.  
Nescia stare loco, sed ad omnia prompta moveri,  
Et quam crebra movent humanos somnia sensus  
Auspiciis intenta novis, & tristia lætis  
Veraque cum falsis, & turpia rebus honestis  
More suo miscens, terræ quem ludit in orbe.*

## X IV.

*Securos plerumque nimis fors negligit ipsa.*

## X V.

*Emta salus, sed & obsequium venale timendum,  
Ne sit, ut esse solet, prior emtio cassa sequente,*

Nam



Nam semel emta fides vendenti credita præstat,  
 Virgo prius facto meretrix turpissima quæstu est.  
 Emta fides quasi nulla fides, licet obside certam  
 Efficias; Laxentur ab obside vincula, velox  
 Vana fides; nec erit quispiam, nisi sponte, fidelis.

## XVI.

Qui iam tam cauto detur prudentia JANO  
 Lumine quo mentis sic partem spectat utramque  
 Discat ut insidias evadere temporis hujus.

## XVII.

Cum nobis donet concordia robur adultum  
 Dissensus vecors vires exhaurit amicas.  
 Cumque relativum natura ministrat amorem  
 Fratribus, instinctum discordant sæpe negando.

## XVIII.

O quam prona suis acies & prompta periculis  
 Quæ zelo furit invidiæ; stimulosque furoris  
 Adjicit in largos inflata superbia fastus.

## XIX.

Nobilitas animi nocuum non novit opertum  
 At cautus nequam, tritus per crimina multa  
 Multiplici falerâ vultus tegit intima monstra.

## XX.

Sæpe notam sceleris prior infert culpa sequentis.

## XXI.

Certa fides oculi brevis est, injuria ficti  
 Mendacesque facit pro veris vana perorans.

## XXII.

Murilegos canibus stabili quis federe junget?

*Sic cum corde pio qui dissidet, & furiarum  
Intus habet thalamum cum nullo pace fruetur.*

## XXIII.

*Qui didicit simulare nefas, pro tempore, fraudi  
Construit insidias, fallentem fallere cautus.*

## XXIV.

*O vere summi metuendam numinis iram  
Quæ sic iudicio vindictas explicat equo,  
Discat ut in Domini caput acta redire securis.  
Ut quæ quis nocuit poenâ plectatur eadem,  
Quilibet intentus fraudi, sic sæpe ruinam  
Quam dicit patitur.*

## XXV.

*Auctorem sua sæpe suum fraus fraudat; & in se  
Labe sua collisa ruit, cui debita merces.  
In laqueum non sponte cadit quem sponte tetendit.*

## XXVI.

*Tinnitus vocum reddit quas accipit Echo,  
Sic pereant qui se prodesse fatentur & obsunt.*

## XXVII.

*Gaudet permissis; ex laxis mens frænis,  
In scelus omne ruit, confundens fasque nefasque.*

## XXVIII.

*Et quid velle malum quid prodest grande minari?  
Quid vero nocuos iuvat attentare labores?  
Difficilis labor est fluctus evincere nando.*

## XXIX.

*Felix vindicta est quæ victo dona dat hosti.  
Hac superent hostes, hæc vincant clade tyranni,*

## XXX.

In trepidante fugâ vel nulla vel ultima virtus  
 Quem trepidi laudant post praelia, cive recepto.  
 Dum bene qui fugit, caute pugnassee probatur,  
 Utiliusque putant profugi calcaribus uti  
 Quam gladio; tergoque geri quam pectore scutum.  
 Committis ardentis quoties capiti timor ensis  
 Imminet; est alia gravior mors nulla timore.

## XXXI.

Rerum mandato subservit summa potestas.

## XXXII.

— — — nec mandata nec ulla  
 Impellunt in bella preces; ubi prœmia rerum  
 Defuerint; res bella gerunt, res praelia sedant.  
 Commodius nunc argento pugnatur & auro.  
 Quæ duo si desint nec mens capit arma nec ensis.

## XXXIII.

Nonnumquam qui rem differt dum crastinat, aufert,  
 Sæpe diurna mora ingenti vix redditur anno.

## XXXIV.

Quid tibi divitiis opus est, qui semper avaro  
 Esurries animo? Quânto tibi plura parasti  
 Tânto plura petis, & habendis acrius instas.

## XXXV.

Fœmina quæque suos placitos sibi laudat amores.  
 Et vocat utilius quicquid sibi dulce videtur.

## XXXVI.

Dum calet in crebros iteretur malleus ictus,  
 Ne pigras subeunte moras incude, tepescat.

*Nec trahat eliso præscriptam verberare formam.*

## XXXVII.

*Nonnumquam nocuisse reor differre paratis*

*Nonnumquam prodesse moras : mens spectet utrumque.*

Barthius Adversar. Lib. xxxi. cap. ix. pag. 1440.

**Romæ in Basilica S. Pauli, Via Ostiensi.**

*Sedis Apostolicæ Levites summus in ista,*

*Mente petens X P M, membra recondit humis*

*Insignis meritis clarusque per omnia miles,*

*Emittit tanti dignus honore loci.*

*A Deo sic datus altaris fuit ille minister,*

*Nomen ut æquaret vita decora viri.*

**Deposit. vii. Idus Majas Leone Juniore Aug.  
primum Consil. A. D. 474.**

Ex Aringh. Lib. 111. c. 3. f. 250. Reines. Inscr. Class. xx  
n. 3. pag. 398.

**Veteris Christiani Poëtæ jambus in mis-  
sionem Spiritus Sancti.**

*Completa quinque festa, cum decies dies*

*Novante ferrent orbita.*

*Promissione proximante Spiritus*

*Qui veritatem traderet.*

*Pollicitus ipse Christus ut suis erat*

*Priusquam abiret ad Patrem.*

*Amaverat quos f. finem ad usq; terminum*

*A principante exordio.*

**Duo.**

§ Vita vel summum.



Duodecim cum congregati Apostoli

Orationes dicerent.

Ut exituri mundum in omnem chrismate

Prius ungerentur cælico.

Repente motos cardines vibrans domus

Tremefacta nutabat procul.

Quadrangulares Ventus impellens cubos

Molem movebat arduam.

A fronte Sephyrus, Eurus a tergo volat,

Alasque discordes quatit.

Latere ex utroque Notus & Aquilo corruunt,

Pugnantque tecta frangere.

Aër tumultu dissidente fluctuat,

Fremuntque pulsæ parietes.

Unum revulsa diceres fundamina

Ruitura momentum solo.

Hæc inter icti mente percussa sedent,

Ut fulminati antistites.

Nec mora solutis concinunt linguis Deum

Peregrina docti carmina.

Judæa turba nesciens nisi sono

Movere Hebræo pectinem,

Grajo, Latino, Parthico, Babylonico,

Ægyptio atque Persico.

Quin mille linguis congruenter incinens

Dei sonat magnalia.

Dei repleta Spiritu Deum sonat.

Promissa qui servans patrum,

Misit per abvum Virginis Puerperæ

Natum sibi ante secula.

In tempore ante tempus ut genitus foret

Cunctis saluti gentibus.

Jam devolutis hora cum metis venit,

Salutifer Paracletus

Descendit in nos, ut nova testes novi

Vitæ feramur gentibus.

Hæc illa Patrum vota complevit dies

Tot præstolata seculis.

Hæc spe piorum primus Abraham Pater

Instruxit Isaac suum.

Hæc Israël duodecim per stemmata

Benedicta traxit germina.

Regum omnis illa cum profetis gloria

Caterva vivit perpetim.

Hanc nunciarunt Patribus nostris patres,

Hanc nos Nepotibus damus.

Ad quos beati jamque venerunt dies

Ut simus horum interpretes.

Nos ante mundi conditi primordia

Præfixa vidimus Deo.

Nos illa testes, quæ videmus, dicimus,

Ut populus omnis audiat.

Hæc tuba profecta de Sion, magnalibus

Orbem replevit Messia.

Quæ sol relicto Vespere Auroram refert,

Et mane mutat Vespere.

Hic audietur regna per mundi sonus,

Christumque discunt cardines.

Septentrione nil sub algido latet,  
 Nil Auster humanum premit,  
 Quod non ad hujus classicum Vocis frequens  
 Adoret in monte Israël.  
 Adsunt relictis secula Idolis nova  
 Fugiantque victi Dæmones.  
 Excisa signo est Regia Inferni Crucis,  
 Vexilla quod Christi ferunt.  
 Deo rebelles nocte sub stygia latent  
 Non liberandi, Exercitus.  
 Victor tropæa Christus intulit polo,  
 Ad dexteram Dei Patris.  
 Hæc elocutus flammea Lingua super  
 Pendere visæ calitus,  
 Ut quemque Christi Spiritus repleverat  
 Ardebat hoc animam modo.  
 Mysteriorum turba Judæa insciens  
 Risit profanis gestibus.  
 Et exterorum Festa visitans cohors  
 Hierusalem intra mania,  
 Ut hos loquentes quisque vocibus suis  
 Suo audit Idiomate.  
 Percussus animum, ratio cui nihil valet,  
 Miraculum eludit joco.  
 At Petrus acer multilingui carmine  
 Solutus ora prædicat  
 Deum Parentem, Filium atque Spiritum,  
 Ab usque mundi exordio.  
 Cum mille gentes ore adessent dissona

*Inerudita millia.*

*Suo audiere quisque dicentem sono  
Et credere plurimi.*

*Hac prima lux est congregatæ Ecclesiæ,  
Hinc orsa, in æternum manet,  
Idem ille linguis qui volans flammantibus  
Apparuit testes super,  
Servabit illam donec extremo tuba  
Sonitu excitabit mortuos.*

*Translata tum migrabit in sinum Abrahamæ  
Visura Christum perpetim.*

*Ex Barthii Adversar. Lib. I. Cap. III. pag. 6.*

### Elegia Antiqui Scriptoris.

*Tempore qui læto sortem ridemus amaram,  
Certa velut stabiles non, Dea, verset equos.*

*Cur iidem adverso lætam venamur in æstu?  
Ab mea tam benè quod cognita causa mihi est!*

*O qui charorum caput ô charissime quondam,  
An potes & miseri nunc meminisse tui?*

*Est equidem in lætis nemo non promptus amicus,  
Ipsa homini adversus umbra inimica sua est.*

*Tamalus infelix, dicunt, conviva Deorum,  
Nunc quoque apud manes victima sacra Iovi est!*

*Usque adeo Pœnas non delent ultima fata,  
Qui cecidit divis surgere nemo valet.*

*Scilicet & nobis, qui functo corpore nuper  
Dura per antiqui busta fugamur avi,*

*Perfida felices ostendit regula Divos.*



Et voluit sanctis partem aliquam esse locis:  
 Non alio exemplo nisi ut eruta turbine diro  
 Desereret mediâ nos rota fracta via.  
 Ab mihi præteritos referant si numina vultus,  
 Non etenim veterem, te, nova plaga, queror.  
 Ut facili amissos abblandiar ore favores,  
 Tibura ferens dignis, carmina læta, Diis.  
 Ut gravis hiberno torrens de monte volutus  
 Obvia non magna arbuta verrit ope.  
 Sæpe domos etiam, sæpe addita mœnia raptat,  
 Currens præcipiti per juga longa viâ.  
 Sic semel atque uno nos abstulit improbus ictu,  
 Mentem etiam & Musis pectora nota, furor.  
 Altus eram certè: sortis furor omnia vicit;  
 Obvius ut quisque est, tu mihi, clamo, veni.  
 Improbus est quisquis, non, hæc spectacula cernens  
 Fortuna instabili se quoque stare putat.  
 En ego nec charos habeo miserandus amicos,  
 A quibus auxilio verba ve remve petam.  
 Unicus est qui me non planè spernit egentem.  
 Cætera contempto supplice turba fugit.  
 Quid faciam infelix? quæ non nisi in omnibus uni est  
 Sollicitern longo carmine sæpe Fidem?  
 Fracta Fides crebro est precibus lugentis amici;  
 Hac tamen amissâ num magis tristis ero?  
 Vos superi, & quorum es merito mihi numinus in instar,  
 Quem nunquam posthac spero videre, parens,  
 Unius in gremio spes nostra abiecta sodalis  
 Tabet, & absentis perditâ verba sonat.

Ille iuvet forsā, sed verba immensa locutis  
Facta brevi constant, non repetenda, modo.

Scilicet in sūmnis quæ poscunt plurima divos  
In fratrum auxiliis experietur inops.

Nos ubi præteritis componimus orsa sequenti  
Temporis, his etiam credere Fata vetant.

Interea rapit hora, nec est reparabilis, horam.  
Nos lenta placuit tabe perire Deo.

Ut pereunt miseri quos vitæ fructus ademptus  
Deseruit, nullā post reparandus ope.

Tempore non illo Priamum periisse putabis  
Quo jacuit Teucro littore truncus iners.

Verum ut Thessalicis<sup>a</sup> circum sua mænia funus  
Hectoreum rapuit, fortior hostis, equis.

Non ea post ductos<sup>b</sup> victo ex Oriente triumphos  
Exstinxit Magnum, quæ tulit, hora, caput.

Illā illum exstinxit campis congressa Philippis  
Cæsarea populum quæ ruit, hora, manu.

Scilicet hic Vitæ finis, qui finis honorum est.  
Cumque suā pereunt prosperitate viri.

Sic quod heri vixi, quia jam nox altera præsto est,  
Non illud tempus quod modo duco, vocem.

Quæque dies sibi Vita sua est; cum transit illa  
Hesternæ non est lux hodierna memor.

Quare quem fructus vivendi, Vita relinquit.  
Nempe quid hoc demito mors nisi mæsta venit?

Undique quæ latis si se tristissima monstrat,  
Quid miseris censes nolle parare mali?

Sæpe ferunt venti, sæpe est firmissima navis,

<sup>a</sup> Sed cum. <sup>b</sup> toto.

Mutarunt venti flumina, navis obit.

Dum carvet hos scopulos, alios incurrere, nauta,

Sentit, & est damno serior arte suo.

Structa quid in magno sunt propugnacula saxo?

Humano majus sepe labore ferunt.

Callidus internis se spiritus ingerit antris,

Cum posita rupes sic gravis arce jacet.

Tuta nec in solido rerum Fortuna favore est,

Cum minimè credas impulit illa rotam.

Tum quoque cum nitido ridet placidissima vultu,

Turpis in averso pectore fucus inest.

Elevat incautum, sperantem maxima nutu

Projicit, ascendit cætera turba tamen.

Hæc ego qui possum miseris miser ipse referre,

Non poteram dictis olim auhibere fidem.

Stulta quia & votis tam credula turba beata est

Rideat ut miseri magna monentis opem.

Sæpe mihi dixit Peligni Musa Poëtæ

Nunc ego mutatâ quod vice dico tibi.

Credite quis fidum Fortuna videtur asilum,

Non erit hæc vobis, non fuit illa mihi.

Pendet ab axe suo vita variabilis ordo,

Nulla sui certa est, hora nec ulla fuit.

Cumq; nihil \* possit longi fuga mobilis a vi,

Set amen hac semper mobilitate fugit.

Sed vitam incertam sequitur miserabile lethum:

Humanas inter sola ea certa via est.

Stultus & indoctus, qui cum non nesciat illo

Eximi ab innumeris tempora lassa malis,

\* Corruptum est

Hoc



Hoc tamen extremo timet, & fugit undique nistis,  
 Quod sequitur fortem, quod timidumque premit.  
 Vita tamen dulcis; quid si magis altera restat?  
 Mors gravis? an scimus non graviore premi?  
 Altior at miseris cura est, dolor ossibus hæret.  
 Verba cadunt pulchrè, pectora mæror edit.  
 Sic ego qui medicas aliis dare melior herbas  
 Nullius credam vulnere nostra manu.  
 Una sed in cunctis data sunt solatia curis,  
 Sustineant lapsa quæ mihi membra pede.  
 Nulla, licet tenuis linquat spiramina Vitæ,  
 Absque intervallo Sors truculenta fuit:  
 Nempe quia est miseris aliquod quoq; numen amicum,  
 Qui patitur nullis spernitur ille Deis.  
 Venit ubi ad summum, non progressura ruina est,  
 Sed stetit & retro est viribus acta suis.  
 Ipsa quoque è bustis extollier ossa videmus,  
 Cum Patria \* coluit religione Nepos:  
 Diruta murali tormento saxa feruntur.  
 Erigit his alio mænia Marte labor.  
 Infelix quisquis nocet infelicibus unquam  
 Hic meruit nullo tristia sine pati.  
 Omne quod hic cernis tenuis modo corporis umbra est  
 Vix macie exesis artubus ossa trabo.  
 Rarus aperta movet procul internodia poples,  
 Consedit genibus tractus ab ore tremor.  
 Sordibus & multo similis squalore sepultis  
 Vix inter vivos larva videnda vagor.  
 Non tamen hoc hostes non hoc mala numina possint

\*L. Collit hæc.



Ut valeat pronum nox pepulisse caput.

Languidus Alcides & cæsa languidus hydrâ,

Non hostes timuit, grus homicida, tuos.

Briseis ut rapta est amor<sup>a</sup> atrum inclusit Achillem,

Non metus Hectoreæ Memnoniæve facis.

Ille sed extincto rediit vigor acer amico,

Reddidit ut justus deposita arma dolor.

Me quoque fors mihi restituet, moribundaque membra

Viribus ire suis splendida, fata dabunt.

Tum trucis invidiæ furiis ultricibus horrens

Involvam positus arma virumque malis.

Interea, ut libitum est, absentibus utere divis,

Livor, & in nostro gaudia quære rogo.

Barth. Adversar. Lib. XL. cap. 18. pag. 1820.

In Vaticano Cœmeterio olim, nunc  
in atrio Ecclesiæ S. Angeli in Ci-  
vitate Leonina, marmor: incor-  
rectum, & Barbarum seculi sexti.

Sepulchrum Eugenii not. cum suis.

Impia mors rapiens teneris te nate sub annis

Invidit meritis criscere magna tuis.

Te Florare decus primo cum carmine cepto

Doctorum Doctor vidit & obstupuit.

Vicisti priscos longeva etate parentes,

Annis parvæ quidem, sed gravitate senex.

Non luxus tibi cura fuit non gratia pompæ

Docti-

*Doctiloquum cupidus carminis ardor eras.*  
*Tu meritis ornate tuis monumenta relinquis*  
*Quæ recolens semper sit sine fine dolor.*  
*Morte tua genetrrix optavit sumere mortem*  
*Se quaque felicem si potiretur ait.*  
*Ter denos primum quam luna resumeret ignes*  
*Conjuncxit membris membra sepulta tuis.*  
*Nunc commune nobis custos tu serua sepulchrum*  
*Que nos hec tecum mox teget orna simul.*

Dēp. est Boëtius Cl. p. oct. Kal. Nobr. indiēt. xi. imp.  
 Dom. N. Justino. p p. Aug. ann. xii. & Tiberio Const. Cæs.  
 Ann. iij. dep. est in pac. argentea mat. S. S. xiiii. Kal. Decemb.  
 qui S. S. Boëtius vixit Ann. xi. M. ix. D. xxiii. & Mat. ejus vixit.  
 Ann. xxxvi. M. ii. D. xii.

Reines Inscr. Cl. xx. N. Lxii. pag. 912.

## Veteris Poëtæ Christiani Hymnus in Epiphania, ut videtur.

\* \* \*

*Serena Stella lucidi*  
*Renata candet atheris.*  
*Ut delicata limpido*  
*Rigaret ora pectore.*  
*Ussit vapore fervidus,*  
*Furente Sol gravem diem,*  
*Urat sinistro lumine*  
*Diana cor meum premens.*  
*Hæc illa Stella lucida*  
*Medio notabilis polo,*

*Ipsa suo igne pectora*  
*Liquore ceu grato rigat.*  
*Sic Gratia alma Spiritu*  
*Provecta de Sanctissimo*  
*Cor, corpus, animam,*  
*viscera,*  
*Mentemq, delet am fovet*  
*Cum Christus e natalibus*  
*Cunis vigore calico*  
*Prospectat, Orbis flumine*  
*Novus*

Novi irrigatur luminis.  
 Beata Trinitas procul  
 Mysterium promit, sacrans  
 Deo dicata pectora  
 Hæc nosse, quæ negat So-  
 phus.  
 Lux orta Regem lucidum  
 Magis Eois manifestat,  
 Ad Imperantis omnium  
 Cubile festinant Magi.  
 Rex est perennis siderum  
 Qui volvitur pannis tuis,  
 Tuo, Maria, linteo  
 Rex seculorum cingitur.  
 Niveo Vetustas tempore  
 Dicavit hæc Natalia  
 Ut mens tenebras exules  
 E Corde propellat suo.  
 Adest triumphus Gloria,  
 In sede Christus pauperes,  
 Regnator omnis seculi  
 In stramine hic jacet  
 brevi.  
 Circumvoluta millies  
 In mille puncta machina,

Ineffereendis seculis  
 In se rotata non stetit.  
 Nec ambitu tamen suo  
 Nec circite, omnium capax,  
 Hunc cepit infantem, cui  
 Celebramus istud gaudium.  
 Quid gens Eoa, marty-  
 rum  
 Primæ sacrorum gloria,  
 Per densa rupium iuga  
 Raptatis acta corpora?  
 Illic Deus habitat quoque,  
 Quem quæritis, quæ stella  
 jam  
 Hac constitit super domo,  
 Orbem illa totum circuit.  
 In hoc jacens præsepio,  
 Cali puer Palatia  
 Habitavit absque termino,  
 Et post perenni ævo colet!  
 Sed huc adeste præsules  
 Sapientiæ ex Mago satæ,  
 Hic est scatebra Luminis,  
 Hæc Stella Sol est maxi-  
 mus.

\* \* \*

Barth. Adversar. Lib. LVI. cap. XIX. pag. 2671.

A N.



ANDRÆE ORATORIS  
DE MARIA VIRGINE AD RUSTI-  
CIANAM CARMEN.

Virgo parens, hæc luce Deumque virumque creavit  
Gnara puerperii, nescia conjugii.  
Obtulit hæc iussis uterum, docuitque futuros,  
Sola Fides Christi quod queat esse capax.  
Credidit, & tumuit, verbum pro semine sumsit,  
Clauserunt Magnum parvula membra Deum.  
Conditor exstas opus, serui Rex induit artus,  
Mortalemque domum vivificator habet.  
Pie sator semenque sui, matrisque creator,  
Filius ipse hominis, qui Deus est hominis.  
Adfulsit partus, Lucem Lux nostra petiuit,  
Hospitii linquens ostia clausa sui.  
Virginis & matris servatur Gloria consors,  
Mater das hominem noscere, Virgo Deum.  
Unius colitur duplex substantia nati,  
Vir, Deus, hæc duo sunt: unus utrumque tamen  
Spiritus huic Genitorque suis sine fine coherens,  
Triplinitas simplex, simplicitasque triplex.  
Bis genitus sine matre opifex, sine Patre redemptor,  
Celsus utroque modo, Celsior unde minor.  
Sic voluit nasci, domuit qui crimina mundi,  
Et mortem iussit, mortuus ipse, mori.  
Nostras ille suo tueatur Numine Vitas,  
Protegat ille tuum, Rusticana, genus.

Barth. Aduers. lib. lvi. cap. xvi. pag. 2663.

FINIS